Dixisse, aliquando pœnituit, tacuisse nunquam.

Digito compesce labellum.

THOMAS VOLFFIVS.

Multa quidem audienda, pauca uero dicenda.

Dixisse, aliquando pœnituit, tacuisse nunquam.

Digito compesce labellum.

THOMAS VOLFFIVS.

Multa quidem audienda, pauca uero dicenda.

DE LIBERO ARBITRIO, DIVORVM PROSPERI, AVGVSTINI, ET AMBROSII OPVSCVLA PERQVAM ERVDITA, E/

quibus ſtudioſus lector, nimirum facile cognoſcet, quinam noſtræ ætatis theologi catholicam ſuper ea re, patrum ſententiam ſequantur, quiq; de gratia fidelius doceant.

Elenchum horum ſequens indicabit pagella.

BASILEAE, ANNO M. D. XXIIII.

Dixiſſe, aliquando pœnituit, tacuiſſe nunquam.

Quæ in hoc libello contineantur.

Epistola nuncupatoria Ioannis Oecolampadij.

Vita diui Prosperi per Ioannẽ Trittenhem Abbatem Spanhemensem.

Capitulum. 3. aureum sanè, diui Augustini, ex libro, quem de Spiritu & litera inscripsit.

Epistola Prosperi de Gratia & libero arbitrio ad Rufinum.

Item eiusdem de eo quod scriptum est: Qui vult omnes homines saluos fieri.

Item eiusdem responsiones ad capitula calumniantiũ, quibus respõdetur, Gallorũ, de Prædestinatione.

Responsiones eiusdem contra capitula obiectionum Vincentianarum de eadem Prædestinatione. Hæ tamen operibus Augustini insertæ sub ipsius nomine sunt æditæ.

Item responsiones eiusdem ad excerpta quæ de Genuensi ciuitate sunt missa, de Prædestinatione.

Responsio sancti Augustini ad Dulcitium de octo quæstionibus ab eo missis. Quarum quintam ultimo loco discutiendam distulit, ut opportune sextum Hypognosticõn librũ, (qui de prædestinatione est, & in quo eandem quæstionem enuclearat) pro ea quæstione diluenda subnecteret: ne noua quadam disputatione actum agere cogeretur.

Diui Ambrosij de uocatione gentium libri. 2.

Epistola eiusdem ad Demetriadem.

IOANNES OECOLAMPADIVS NICOLAO PRVGNERO ECCLESIASTI IN MYLHVSEN, S. IN CHRISTO.

EN VEL TANDEM uotis tuis, mi Prugnere, reſpõdemus: dabis aũt ueniam quod tam ſero: et dabis, nihil diffido, lubens: nimirũ fœnore placatus. Petebas in enchiridij formula doctos illos libros de Vocatione gentiũ, quos nonnulli Ambroſij eſſe aſſerũt, nõnulli doctioris cuiuſpiã ſuſpicantur. Viſum enim tibi paruo illo libello nouorũ Pelagianorum ora facile poſſe obturari: neq; opus eſſe nouis lucubrationibus ad illos compeſcẽdos, quos tam diligenti ſtudio patres olim confutarunt. Atque ipſe libenter tuæ ſubſcribo ſententiæ, tum quod priſcorũ iudicia fermè minus ſuſpecta, tum quod è medio tollitur contentionis materia. Accedit autem & hoc, quod quum perpetuò gloriẽtur à parte ſua ſtare doctores,

ctores catholicos, colliqueſcit omnibus, quod ipſi illi ſint, qui à patrũ aberrant ſemita. Proinde etiã tunc libenter tibi obſequunda ſſem, ni tam difficiles ſe exhibuiſſent typographi. At nũc Thomas Volffius uir & bonus & diligẽs, deſyderio tuo ſatisfecit opinor. Nam quum nõnullas Diui Proſperi lucubrationes, quibus ille Sancti Auguſtini Chriſtianiſſimam tutatur ſententiã, nactus exemplar per quàm uetuſtum, æditurus eſſet, ab eo facile impetraui, ut & Ambroſij opuſcula adiungeret, nimirum ſtudioſis, hac tempeſtate, neutiquam ingrata. Neque enim de uerbo liberi arbitrij contentionem mouebunt, quum de re ipſa cõſtare ceperit. Experimur ſanè nos uel in ſeruitute carnis ad peccatũ trahi, uel ſub ſeruitute Chriſti, dei ſpiritu ad bonũ impelli: illic infelix, iſtic feliciſſima ſeruitus, libertas dicitur: illic excuſandi, iſtic arrogandi præcluditur ianua. Videor autem mihi non ignorare quid ad hæc dicturi ſint Pelagiani noſtri, quibus nihil uel uerſutius, uel magis lubricum, habuit orbis. Clamabunt enim: Et nos cum hiſce ſentimus, & ſenſimus ſemper: nam quamuis nõ parum gratiæ detrahant, dum quantumuis parum nobis tribuunt, attamen interim gratiæ fautores maximi uolunt haberi. Proinde, ut ſimpliciores dinoſcant, quinam in his catholicè ſentiant, quiue non, adiungere libuit hunc κανόνα diui Auguſtini, quem poſuit

Capite

Ita enim dicit: Quantum attinet ad iſtam de diuina « gratia & adiutorio quæſtionem, tria iſta attendite: « poſſe, uelle, eſſe: Hoc eſt, poſſibilitatẽ, uoluntatem, « actionem. Si ergo conſenſerit nobis, non ſolam poſſi « bilitatem in homine, etiamſi nec uelit, nec agat be= « ne, ſed ipſam quoq; uoluntatem et actionem, id eſt, « ut bene uelimus, & bene agamus, quæ nõ ſunt in ho « mine, niſi quando uult & bene agit. Si, ut dixi, con/ « ſenſerit etiam ipſam uoluntatem & actionem diui/ « nitus adiuuari, ut ſine illo adiutorio NIHIL be= « ne uelimus & agamus, eamq; eſſe gratiam dei per « Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, in qua nos ſua, « non noſtra iuſtitia iuſtos facit: ut ea ſit uera noſtra « iuſtitia, quæ nobis ab illo eſt: nihil de adiutorio gra/ « tiæ dei, quantum arbitror, inter nos cõtrouerſiæ re/ « linquetur. Hoc Auguſtini canone ucre catholico, ho « ſtes et amicos eccleſiæ, dinoſcemus. Deinde, et quàm ſit ex ipſiſſimis ſcripturæ ſacræ penetralibus de= promptus, ucritatis aduerſarius quidem inge miſcet, gaudebit autẽ amicus. Vale: & ut facis, opus Euangeliſtæ uigilan ter agito. Baſileæ quarta Decembris. Anno

1 5 2 4.

VITA PROSPERI, PER IOANNEM TRITTENHEM ABBATEM SPANHEMENSEM.

ROSPER EPISCOpus Reginensis, post Faucentium, natiõe Aquitanicus, uir in diuinis scripturis eruditissimus, & in secularibus literis nobiliter doctus, carmine excellens & prosa, eloquio diserttus, sensu profundus, ingenio subtilis, assertione neruosus, uita & conuersatione sanctissimus apparuit. Hic beati Leonis Papæ magni, quondam notarius fuit &, multas in eius persona Epistolas dictauit. Scripsit etiam de sua uena multa præclara opuscula, de quibus ego tantum repperi subiecta.

Ex sententijs Beati Augustini Episcopi uersibus hexametris & pentametris, mixtũ prosa, opus pulcherrimũ, quod prænotare uoluit Epigrãmata. li. j.

Dum sacris mentem placet.

De uita contemplatiua lib. ij.

Contemplatiua uita in qua.

De libero arbitrio. lib. j.

Domino fratri dilectiss. Rufi.

Ad Capitu/

Ad Capitula Gallorum responsiones. lib. j.
Doctrinam quam sanctæ memoriæ.
Ad obiecta Vincentianorum. lib. j.
Quidam Christianæ ac fraternæ charitatis.
Ad excerpta Genuensium. lib. j.
In libris beatæ memoriæ.
Summam grandem. 330. quæstionum. lib. j.
Scientia uera est quæ nec.
Contra Cassianum de libero arbitrio. lib. j.
Chronicon historiarum. lib. j.
Epistolarum ad diuersos. lib. j.
De illustribus uiris. lib. j.
De captiuitate Romæ. lib. j.
Alia insuper nonnulla scripsisse dicitur, sed ad manus nostras non uenerunt. Claruit temporibus Leonis imperatoris magni. Anno domini. 460. Cuius festum celebratur. 7. Calend. Iulij.

QVID CATHOLICI DE LIBERO ARBITRIO SENSERINT, VEL ex aureo illo capite, diui Augustini in libro de Spiritu & litera, perspicuũ esse poterit: quod adnotare, in rem studiosorum censuimus.

NOS AVTEM dicimus humanam uoluntatem sic diuinitus adiuuari ad faciendam iustitiam, ut præter quod creatus est homo cum libero arbitrio uolũtatis, præterq; doctrinam, qua ci præcipitur quemadmodũ uiuere debeat, accipiat spiritũ sanctum, quo fiat in animo eius delectatio, dilectioq; summi illius atq; incõmutabilis boni, quod deus est: etiã nunc cum per fidẽ ambulatur, nondũ per speciẽ, ut hac sibi uelut arra data gratuiti
2. Cor. 5. muneris inardescat inhærere creatori, atq; inflammetur accedere ad participationem illius ueri lumi/nis, ut ex illo ei bene sit à quo habet ut sit. Nam neq; liberum arbitriũ quicquã nisi ad peccãdum ualet, si lateat ueritatis uia. Et cum id quod agendũ & quo nitendum est cœperit non latere, nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, non bene uiuitur. Vt autem diligatur, charitas dei diffunditur
Rom. 5. in cordibus nostris, non per arbitrium liberum quod surgit ex nobis, sed per spiritum sanctum qui datus est nobis.

INCIPIT EPISTOLA PROSPERI DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO, AD RVFINVM.

OMINO FRATRI dilectißimo in Christo, & merito uenerabili Rufino, Prosper æternam ſalutem dicit.

Accepi per cõmunem amicum fraternæ erga me ſollicitudinis tuæ ſigna, & curam ſinceriſſimæ charitatis gratulanter agnoui. Ac ne quid maligni rumores, in quantum ſe auribus tuis ſubtrahere nequeunt, formidinis tibi aut anxietatis inferrent, abſoluere te ab omni ſcrupulo, quantum epiſtolari licuit ſermone, curaui: intantum ſtudens omnia pleniſſima ueritate tibi pandere, ut quia non potuiſti in totum, quæ ab aduerſantibus diſſeminantur, audire, per me ipſum queas, quicquid de nobis ad inanem inuidiam fertur referturq;, cognoſcere. Sed inſinuanda prius ſanctitati tuæ eſt qualitas quæſtionis de qua iſta naſcuntur: quo tibi magis pateat falſitas obloquentũ: et uideas quam lucẽ, quibus

tenebris conentur obducere. Pelagiana igitur hæresis, quo dogmate catholicæ fidei destruere adorta sit, & quibus impietatis uenenis, uiscera ecclesiæ atq; ipsa uitalia corporis Christi uolucrit occupare, notiora sunt, quàm ut opere narrationis indigeāt. Ex his tamen una est blasphemia nequissimi et subtilissimum germen aliarū, qua dicunt gratiā dei secundū merita hominū dari. Cum enim primū tantæ naturæ humanæ uellent astruere sanitatē, ut per solum liberū arbitriū posset assequi dei regnū: eo quod tam plene ipso cōditionis suæ præsidio iuuarctur: ut habēs naturaliter rationalem intellectū, facile bonū eligeret, malumq; uitaret: Et ubi in utraque parte libera essent opera uoluntatis, non facultatē his qui mali sunt ad bonū de esse, sed studiū: Cum ergo, ut dixi, totam iustitiā hominis ex naturali uellent rectitudine ac possibilitate subsistere, atq; hanc diffinitionem doctrina sana respueret, damnatū à catholicis sensum, & multis postea hæreticæ fraudis uarietatibus coloratum, hoc apud se ingenio seruauerūt, ut ad incipiendum, & ad proficiēdum, & ad perseuerandū in bono necessariam homini dei gratiam profiterentur. Sed in hac professione, quomodo uasa iræ molirētur irrepere, ipsa dei gratia uasis misericordiæ reuelauit. Intellectum est enim saluberrimeq; perspectū, hoc tantū eos de gratia confiteri, quod quædam libero arbitrio

sit

ſit magiſtra, ſeq; per cohortationes, per legē, per doctrinā, per creaturam, per contemplationē, per miracula, perq; terrores extrinſecus iudicio eius oſtēdat, quo unusquiſq; ſecundum uoluntatis ſuæ motum, ſi quæ ſierit, inueniat, ſi petierit, accipiat, ſi pulſauerit, introeat. Quia ſcilicet gratiæ ipſius uocatio, hoc primum circa nos agat, ut noſtræ facultatis arbitrium admoneat, nec aliud ſit gratia quàm lex, quàm propheta, quàm doctor, qui circa omnes homines per uniuerſum mundū commune & generale ſit ſtudium, ut qui uoluerint credant, & qui crediderint, iuſtificationem merito fidei & bonæ uoluntatis accipiant, ac ſi gratia dei ſecundum hominū meritū tribuatur. Atq; hoc modo gratia non ſit gratia. Quia ſi meritis redditur, & nō ipſa eſt bonorū creatrix, fruſtra gratia nominatur. Has autem uerſutias, quibus ſe filij tenebrarū, in ſimilitudinem filiorū lucis transfigurare uoluerunt, cum & orientaliū Epiſcoporū iudicia, & Apoſtolicæ ſedis authoritas, et Aphricanorū cōciliorum uigilantia deprehenderit: Beatiſſimus quoq; Auguſtinus, precipua utiq; in hoc tempore portio dominici ſacerdotū, copioſe, et pulchre, in multis uoluminū diſputationibus deſtruxit: utpote inter multa dei dona, quibus illū abundātiſſime ſpiritus ueritatis impleuit, habēs etiā hāc ſcientiæ et ſapiētiæ ex dei charitate uirtutē, ut nō ſolū iſtā ad huc in ſuis detrūcatio-

tenebris conentur obdũcere. Pelagiana igitur hæresis, quo dogmate catholicã fidẽ destruere adorta sit, & qbus impietatũ uenenis, uisæra ecclesiæ atq; ipsa uitalia corporis Christi uolucrit occupare, notiora sunt, quàm ut opere narrationis indigeãt. Ex his tamen una est blasphemia nequissimũ et subtilissimum germen aliarũ, qua dicunt gratiã dei secundũ merita hominũ dari. Cum enim primũ tantã naturæ humanæ uellent astruere sanitatẽ, ut per solum liberũ arbitriũ posset assequi dei regnũ: eo quod tam plene ipso cõditionis suæ præsidio iuuarctur: ut habẽs naturaliter rationalem intellectũ, facile bonũ eligeret, malumq; uitaret: Et ubi in utraque parte libera essent opera uoluntatis, non facultatẽ his qui mali sunt ad bonũ de esse, sed studiũ: Cum ergo, ut dixi, totam iustitiã hominis ex naturali uellent rectitudine ac possibilitate subsistere, atq; hanc diffinitionem doctrina sana respueret, damnatũ à catholicis sensum, & multis postea hæreticæ fraudis uarietatibus coloratum, hoc apud se ingenio seruauerũt, ut ad incipiendum, & ad profidẽdum, & ad perseucrandũ in bono necessariam homini dei gratiam profiterentur. Sed in hac professione, quomodo uasa iræ molirẽtur irrepere, ipsa dei gratia uasis misericordiæ reuelauit. Intellectum est enim saluberrimeq; perspectũ, hoc tantũ eos de gratia confiteri, quod quædam libero arbitrio

sit

sit magistra, seq; per cohortationes, per legē, per doctrinā, per creaturam, per contemplationē, per miracula, perq; terrores extrinsecus iudicio eius ostēdat, quo unusquisq; secundum uoluntatis suæ motum, si quæsierit, inueniat, si petierit, accipiat, si pulsauerit, introeat. Quia scilicet gratiæ ipsius uocatio, hoc primum circa nos agat, ut nostræ facultatis arbitrium admoneat, nec aliud sit gratia quàm lex, quàm propheta, quàm doctor, qui circa omnes homines per uniuersum mundū commune & generale sit studium, ut qui uoluerint credant, & qui crediderint, iustificationem meritō fidei & bonæ uoluntatis accipiant, ac si gratia dei secundum hominū meritū tribuatur. Atq; hoc modo gratia non sit gratia. Quia si meritis redditur, & nō ipsa est bonorū creatrix, frustra gratia nominatur. Has autem uersutias, quibus se filij tenebrarū, in similitudinem filiorū lucis transfigurare uoluerunt, cum & orientaliū Episcoporū iudicia, & Apostolicæ sedis authoritas, et Aphricanorū cōciliorum uigilantia deprehenderit: Beatissimus quoq; Augustinus, præcipua utiq; in hoc tempore portio dominī sacerdotū, copiose, et pulchre, in multis uoluminū disputationibus destruxit: utpote inter multa dei dona, quibus illū abundātissime spiritus ueritatis impleuit, habēs etiā hāc scientiæ et sapiētiæ ex dei charitate uirtutē, ut nō solū istā ad huc in suis detrīcatio-

nibus palpitantẽ, ſed etiã multas prius hæreſes imul cto uerbi gladio debellaret. Cui inter tot certaminũ palmas, inter tot triumphorũ coronas, ad illumnina tionẽ eccleſiæ, et ad gloriã Chriſti, qua ipſe illuſtra tus eſt, perfulgẽti, quidã noſtrorũ (quod de ipſis mul tum dolendũ eſt) occultis, ſed nõ incognitis ſuſurra tiõibus obloquũtur. Et pro ut ſibi obnoxias aliquorũ aures, opportunasq; repererint, ſcripta eius, qbus er ror Pelagianorũ impugnatur, infamãt: dicẽtes, eum libcrũ arbitriũ penitus ſubmouere, et ſub gratiæ no mine neceſſitatẽ prædicare fatalem. Adijciẽtes etiam duas illũ humani generis maſſas, & duas credi uel le naturas, ut ſcilicet tantæ pietatis uiro Paganorum & Manicheorum aſcribatur impietas. Quæ ſi uera ſunt, cur ipſi tam negligẽtes, ne dicã tam impij, ſunt, ut tam abruptã pernicem ab eccleſia nõ repellant? tam inſanis prædicatiõibus nõ reſiſtãt? nec ſaltẽ ali quibus ſcriptis eũ, à quo talis emanat doctrina, cõ ueniant? Magna enim gloria ſua humano generi cõſu luerint, ſi Auguſtinũ ab errore reuocauerint: niſi for te modeſti homines, nouiq; ccnſores, magnorũ prius meritorũ ſcni, honorabiliter ac miſericorditer par cũt, et ſecuri, qa libros eius nemo uſq; reapiat, con quicſcũt atq; ignouerit. Imò nouerũt, nõ ſolũ Roma nã, Africanãq; eccleſiã, & p oẽs mũdi partes uniuer ſos pmißiõis filios cũ doctrina huius uiri, ſiat in tota

fidẽ,

fide, ita in gratiæ confessione congruere. Sed etiam in ipsis his locis, in quibus aduersus eum queremonia cõcitatur, esse, propitio deo, plurimos, qui ad perceptionem Euangelicæ Apostolicæq; doctrinæ, salu berrimis eius disputationibus imbuuntur, & cotidie in membris corporis Christi, in quantũ ea ipse multiplicat, dilatantur. Si recte reprehendimur, cur nõ cõstanter arguimur? Si arguendi nõ sumus, cur occulta obtrectatione mordemur? Sed quis nescit, cur ista priuatim de stomacho garriant, & publice de consilio conticescant? Volentes enim in sua iustitia magis, quàm in dei gratia gloriari, moleste ferũt, quod his, quæ aduersum excellentissimæ authoritatis uirum, inter multas conlationes asseruere, resistimus. Nec dubitant, si quam hinc mouerint quæstionem, in qualibet frequentia sacerdotum, in qualibet congregatione populorum, centenis sibi beatissimi Augustini uoluminibus obuiandum. Quæ cum cordibus audientium manifestare ceperint potentissimam Christianæ fidei ueritatem, & de fontibus diuini eloquij præsentium animos imundare, quis fidelium, quis piorum, recognitis & commendatis sibi salutis suæ causis, amaritudinem istam uolet fumosæ recipere uanitatis. Ego quidem etiam hoc de diuitijs misericordiæ dei spero, quod quos nunc libero falli arbitrio suo, & ab humanitatis uia patitur eua

gari,

gari, non usquequaq; , neq; in finem sit intelligentiæ fraudaturus. Sed hũc ipsum in longinquiora progressum, ideo ab eo tardius reuocari, ut opus gratiæ eius maiore gloria celebretur, cum sibi eitã aduersantiũ corda subdiderit, quibus de uirtutum studio exortũ est periculum, et de morum probitate discrimen. Nõ quia quisquã carere his debeat, sed quia miserrimus eorum usus est, cũ ex naturali putantur facultate prodisse, aut ex largitate quidem gratiæ, sed aliquo uel boni operis, uel bonæ uoluntatis merito præcedente ueniisse. Asserunt quidem hæc quibusdam sanctarũ scripturarum testimonijs, sed non rationabiliter adsumptis. Ad defensionem enim alicuius definitionis ea promenda sunt, quæ alteri intellectui, à quo uidetur definitio dissonare, non cedant, & eam regulam, cui sunt aptata, non deserant. Dictum ergo aiunt li-
Matt. 11. bero arbitrio utentibus. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego uos reficiam. Tollite iugum meum super uos, & discite à me quoniam mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meũ leue. Quod ad omnes homines uolunt pertinere, laborantes in incerto istius uitæ, oneratosq; peccatis: ut qui uoluerint mansuetudinẽ et himilitatẽ saluatoris imitari, & iugum mandatorũ eius subire, inueniant requiem animabus suis in spe uitæ æternæ.

Qui

Qui autem hæc facere noluerint, sua culpa care-
ant salute: quã si uoluissent, potuerint obtinere. Sed
audiant & dictũ à domino libero arbitrio utentibus:
Sine me nihil potestis facere. Et, nemo uenit ad me, Ioan. 15.
nisi pater, qui misit me, adtraxerit eũ. Et, nemo po- Ioan. 6.
test uenire ad me, nisi datũ ei fuerit à patre meo. Et, Ioan. 5.
sicut pater uiuificat mortuos, ita & filius, quos uult, Luc. 10.
uiuificat. Et nemo nouit filiũ, nisi pater: neq; patrem
quis nouit, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare.
Quæ omnia cum sint incõmutabilia, & nequeant ul
la interpretatione in sensum alium detorqueri, quis
ambigat tunc liberũ arbitriũ cohortationi uocantis
obedire, cum in illo gratia dei affectum credendi obe
diendiq; generauerit? Alioquin sufficeret moneri ho
minẽ, nõ etiã in ipso nouã fieri uoluntatẽ: sicut scri-
ptum est: Præparatur uolũtas à domino. Et sicut ait Prou. 21.
Apostolus: Deus est enim q operatur in uobis, et uel- Philip. 2.
le, & perficere pro bona uoluntate. Pro qua bona
uoluntate, nisi quã in ipsis operatus est deus? ut quod
donauer : uelle, donaret et facere. Dicunt etiam ad
demonstrandam liberi arbitrij facultatem, magnũ in
Centurione Cornelio extare documentum: eo, quod
ante gratiæ peræptionẽ timens atq; orans deũ, elee-
mosynis et ieiunijs et orationi sp̃otaneo studio fuerit
intẽtus. Atq; ob hoc diuino testimonio laudatus, donũ
regenerationis acceperit. Neq; intelligũt omnẽ illam

præparati

præparationem Cornelij per dei gratiam fuisse cõlatam. Siquidem cum sanctus Petrus per uisionẽ omne genus animalũ de baptizãdo Cornelio, ac perinde de omnibus gentibus doceretur, atq; ille immundum & indiscretũ cibum iudaica obseruantia recusaret, trina ad eum uox facta sit, dicens: Quæ deus mundauit, tu ne cõmune dixeris. Quo satis aperte ostenditur, omnia bona opera, quæ in Cornelio præcesserunt, dei gratia ad emundationem ipsius inchoasse: ut cui dominus iam impertierat hoc donum, non dubitaret Apostolus conferre sacramentum: ne nouæ, & necdum reuelatæ uocationis uacillaret exordium, nisi per ipsa indicia præcedentium studiorum, deum in adsumendis constaret operatum. Non enim omniũ est fides, nec omnes credunt Euangelio. Sed qui credunt, dei aguntur spiritu: qui non credunt, libero auertuntur arbitrio. Conuersio ergo nostra ad deũ, nõ ex nobis, sed ex deo est: Sicut Apostolus dicit: Gratia salui facti estis per fidem, & hoc nõ ex uobis, sed dei donum est: & non ex operibus, ne quis glorietur. Agnoscat se humana debilitas, & in primo homine uniuersarũ generationũ dãnata successio: et cũ mortui uiuificantur, cũ cæci illuminãtur, cum impij iustificãtur, confiteantur uitã, et lumen, et iustitiã suã Iesum Christũ. Et qui gloriatur, in domino glorietur, nõ in se. Qui cũ esset impius, et cæcus et mortuus,

Actu. 10.

Ephe. 2.

tuus, à liberatore ſuo gratis accepit, & iuſtitiam, & lumẽ & uitã. Nõ enim iuſte agebat & aucta eſt iuſtitia eius: nec ad deũ gradiebatur, & cõfirmatus eſt curſus eius: nec diligebat deum, & inflammata eſt charitas eius. Sed cum eſſet ſine fide, ac perinde impius, acæpit ſpiritum fidei, & factus eſt iuſtus. Iuſtus aũt ex fide uiuit: Et, ſine fide nemo poteſt placere deo: Et, omne, quod nõ eſt ex fide, peccatũ eſt: ut ſcilicet intelligat iuſtitiã infidelium non eſſe iuſtitiã: quia ſordet natura ſine gratia. Amiſſa quippe naturali innocẽtia, homo exul ac perditus ambulans ſine uia, profundiores intrabat errores: ſed quæſitus & inuentus, & reportatus eſt, & in uia, quæ ueritas et uita eſt, introductus ad dilectionem in deũ, qui illum nõ diligentẽ prior dilexit, agnitus eſt: ſicut dicit beatus Apoſtolus Ioannes: Non quaſi nos dilexerimus deũ, ſed quoniam ipſe dilexit nos. Et iterũ: Nos ergo diligamus deũ, quoniã deus prior dilexit nos. Et idem dicit: Chariſſimi, diligamus inuicem, quoniam charitas ex deo eſt. Et omnis qui diligit, ex deo natus eſt, & cognoſcit deũ. Qui non diligit, non nouit deum: quia deus charitas eſt. Cui beatus Paulus congruit dicens: In Chriſto Ieſu, neq; circumciſio, neq; præputium ualet aliquid: ſed fides, quæ per dilectionem operatur. Vnde habetur hæc fides connexa charitati, niſi unde eam ipſe monſtrat acceptam? dicens:

Rom. i. Hebr. ii. Rom. 14. 1. Ioan. 4. Galat. 5.

Philip 1. cens: Quia uobis donatum est pro Christo, non so-
lum ut in eum credatis, sed etiam ut pro ipso patia-
mini. Quod utique fieri sine magna charitate non po
Rmo. 5. terat. Et iterum: Charitas dei diffusa est in cordibus
nostris per spiritum sanctũ, qui datus est nobis. Sine
qua charitate Apostolus, quantã fidem, quantãq; sci-
1. Cor. 13. entiam, quas uirtutes, quæ studia, quos labores, nihil
prodesse testatur? Quia scilicet multa laudabilia atq;
miranda possunt in homine reperiri, quæ sine chari-
tatis medullis habent quidẽ pietatis similitudinem,
sed nõ habent ueritatẽ. Hoc ergo tanto et tam ineffa
bili bono, nemo inuẽtus est dignus. Sed quicunq; ele
ctus est á deo, factus est dignus: sicut dicit Aposto-
Colos. 1. lus: Gratias agẽtes patri, qui dignos nos fecit in par
tem sortis sanctorũ in lumine, qui eripuit nos de po-
testate tenebrarũ, & trãstulit in regnũ filij dilectio-
2. Timo. 1 nis suæ. Et idẽ ad Timothæũ: Cõlabora, inqt, Euan
gelio secundũ uirtutẽ dei, qui nos liberauit & uoca
uit uocatione sancta: non secundũ opera nostra, sed
secundũ suum propositum, & gratiam, quæ data est
nobis in Christo Iesu ante tẽpora secularia. Et ad Ti
Titum. 3. tum: Eramus, inquit, & nos aliquãdo insipientes &
increduli, errãtes, & seruiẽtes desyderijs et uolupta
tibus uarijs, in malicia & inuidia agentes, odibiles,
odiẽtes inuicem. Cum aũt benignitas & humanitas
apparuit saluatoris nostri, non ex operibus iustitiæ

quæ

quæ fecimus, sed secũdũ suã misericordiã saluos nos fecit. Gratia igitur dei quoscunq; iustificat, non ex bonis meliores, sed ex malis bonos facit: posica per pfectũ, ex bonis factura meliores: non adepto libero arbitrio, sed liberato. Quod donec sine deo solũ fuit, mortuũ fuit iustitiæ, uixitq; peccato. Vbi autẽ ipsum illuminauit misericordia Christi, erutũ est à regno diaboli, & factum est regnum dei, in quo & permanere possit: ne ea quidẽ facultate sufficit sibi, nisi inde accipiat perseuerantiã, unde accepit industriam. Quoniã & ipsius sancti Petri ardentissima fides in tentationibus defecisset, nisi pro eo dominus supplicasset: sicut Euangelista manifestat dicẽs: Dixit aũt Luc. 22. Iesus Petro: Simon Simon, ecce Satanas postulauit, ut uos cribraret uelut triticũ. Ego aũt rogaui pro te, ne deficiat fides tua: et tu tandẽ cõuersus, cõfirma fratres tuos, et roga, ne intretis in tẽtationẽ. Et ut magis ꝓbaretur liberũ arbitriũ nihil posse sine gratia: cui dictũ fuerat: Cõfirma fratres tuos, et roga ne intretis in tẽtationẽ: Quiq; respõdit, utiq; ex libero arbitrio: Domine tecũ paratus sum & in carcerẽ & in mortẽ ire: eidẽ prædicitur, quod prius quàm gallus cãtet, Luce. 22. ter dominũ negaturus sit. Quod qd est aliud, quàm quod in fide defecturus sit? Certe rogauerat pro eo dominus ne deficeret fides ipsius. Nec utique frustra rogauerat, cuius una erat cum eo quem rogauerat operatio. Sed ne libero arbitrio uidcretur stare, qui

de se

de se magna promiserat, permittitur periclitari, ut conturbatum ac deficientem ille respiciat & resuciat, sine quo nemo consistit, nemo persistit. Ab hac autem confessione gratiæ dei, ideo quidam resiliunt, ne cum eam talem confessi fuerint qualis diuino eloquio prædicatur, & qualis opere suæ potestatis agnoscitur, etiã hoc necesse habeant confiteri, quod ex omni numero hominum per secula cuncta natorum, certus apud deum, definitusq; sit numerus prædestinati in uitam æternam populi, & secundum propositum dei uocantis electi. Quod quidem tam impium est negare, quàm ipsi gratiæ contraire. Neque enim remotum est ab inspectione communi, quot seculis, quàm innumera hominum milia erroribus suis impietatibusq; dimissa, sine ulla ueri dei cognitione defecerint. Sicut etiam in Actibus Apostolorum, Pauli & Barnabæ uerba declarant, di-
Act.14. cẽtium Iconijs: Viri fratres, quid hæc facitis? & nos mortales sumus similes uobis homines, adnuntiantes uobis, ut ab his uanis conuertamini ad deum uiuum, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. Quin præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi uias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum relinquens, benefaciens eis, de cœlo dans pluuiam, & tẽpora fructifera, implens cibo & lætitia corda eorum. Cum utiq;

si eis

si eis uel naturalis intelligentia, uel usus beneficiorũ dei ad capessendam uitam æternã suffiære potuisset, nostro etiam tempore rationalis nos contemplatio, & temperies aëris, & fructuum copia, ciborumq;, saluaret: quia scilicet melius, natura utẽtes, creatorẽ nostrũ propter cotidiana ipsius dona coleremus. Sed absit ab animis piorũ, et Christi sanguine redemptorum, stulta nimium & perniciosa persuasio. Naturã humanam nõ liberat, extra unum mediatorẽ dei & hominum, hominem Christum Iesum: sine illo nemini salus est, Siait ipse fecit nos, & non ipsi nos: ita ipse reficit nos, & nõ ipsi nos. Ac ne sibi facultas hominis precium reparationis huius, uel post restitutionem sui, per opera uideretur iustitiæ repensare, effuderunt se diuitiæ bonitatis dei in ipsa quorundã primordia paruulorum: In quibus nec præedens eligitur, nec sequutura deuotio, non obedientia, nec discretio, nõ uoluntas. De his enim loquor, qui mox ut nati sunt, renascuntur: & rapti ab hac uita, æternæ beatitudini deputantur Cum tamen innumerabilis multitudo, eiusdem naturæ, eiusdem conditionis, infantium, sine generatione decedat. De qua dubitari non potest, quod partem in dei ciuitate non habeat. Et ubi est illud, quod nobis quasi contrariũ, à non intelligentibus semper opponitur? Psal. 99.

DE EO QVOD SCRIPTVM EST, Qui uult omnes homines ſaluos fieri.

1. Timo. 2

QVOD DEVS OMNES HOmines uelit ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire, Nunquid non ſunt de omnibus hominibus, qui à præteritis generationibus uſq; in hoc tempus ſine dei cognitione perierunt? Et ſi maioribus natu (quod nõ recte dicitur) mala opera, quæ libero arbitrio commiſerant, obfuerunt, quaſi boni nõ mali gratia liberentur, inter ſaluatos paruulos, & nõ ſaluatos paruulos, quæ meritorũ potuit eſſe diſcretio? quid iſtos introduxit in regnum dei? quid iſtos excluſit à dei regno. Equidẽ ſi meritum conſideres, non una pars ſaluari meruit, ſed utraq; damnari. Quia omnibus in Adæ præuaricatione proſtratis, niſi quoſdam aſſumeret miſericors gratia, maneret ſup uniuerſos inculpata iuſtitia. Quæ aũt ſit diſcretionis iſtius in ſecreto conſilio dei cauſa uel ratio, & ſupra facultatem humanæ cognitionis inquiritur, & ſine fidei deminutione neſcitur: modo cõfiteamur neminẽ immerito perdi, neminẽ merito liberari, & omnipotentiſſimã domini bonitatẽ omnes ſaluare, et omnes ad agnitionem ueritatis imbuere, quos uult omnes fieri ſaluos, & ad agnitionẽ ueritatis uenire. Niſi enim ipſo uocãte, docẽte, ſaluante, nemo uenit, nemo eruditur,

eruditur, nemo ſaluatur. Quia & ſi indifferenter omnibus hominibus iubẽtur prædicare doctores, & ſemen uerbi ubiq; deſercre, tamen neq; qui plantat, neq; qui rigat eſt aliqd, ſed q incrementũ dat deus. 1. Corĩ. 3.
Vnde cũ Apoſtoli gentibus Euangeliũ prædicare cœ piſſent, de parte quadã eorũ, qui audierãt, ſcriptura cõmemorat, dicens: Audiẽtes aũt gẽtes gauiſæ ſunt, Act. 13.
& glorificabant uerbũ dei, & crediderũt quotquot erãt præordinati ad uitã æternã. Et alibi: Cũ multæ Act. 16.
mulieres audirent Paulũ docentẽ, quædã inquit mulier, nomine Lydia, purpuraria ciuitatis Tyatyrorum, colens deũ, audiuit: cuius dominus aperuit cor ut intẽderet his, quæ dicebãtur à Paulo. Et rurſum eo ipſo tẽpore, quo ad omnes gẽtes prædicatio Euangelij mittebatur, quædã loca Apoſtolis adire prohibebatur ab eo, q uult omnes hoĩes ſaluos fieri, et ad agnitionẽ ueritatis uenire. Multis utiq; in illa retardatis atq; auerſis Euangelij mora, ſine agnitiõe ueritatis & ſine regenerationis cõſecratione morituris. Dicat ergo ſcriptura quod geſtum eſt: Tranſeuntes autẽ, inquit, Phrygiã & Galatiæ regionẽ, Act. 16.
uetiti ſunt à ſancto ſpiritu loqui uerbũ in Aſia. Cum ueniſſent autẽ in Myſiam, temptabant ire in Bithyniam, & non permiſit illos ſpiritus Ieſu. Quid autem mirum, ſi inter ipſa Euangelicæ prædicationis exordia, non poterant ire Apoſtoli, niſi quo eos

ſpiritus dei ire uoluiſſet, cũ uidcamus plcrasq; gẽtes modo primũ Chriſtianæ gratiæ fieri cœpiſſe partici pes, Alias aũt nullũ adhuc odorẽ boni iſtius attigiſſe? An diendnm eſt, uoluntati dei humanas obſiſtere uolũtates, & tam feros, tamq; intractabiles horum hominum mores, ut Euangelium ideo non audiant, quia prædicationi, impia corda nõ patant? Et quis iſtis corda mutauit, niſi qui finxit ſingillatim corda eorum? Quis huius rigoris duritiem ad obedi endi molliuit affectum, niſi qui potens eſt de lapidi
Mat.3. bus Abrahæ filios exatare? Et quis dabit prædicantibus intrepidam, inleſamq; conſtantiam, niſi ille,
Act.18. qui ait Paulo: Noli timere, ſed loquere, et ne taceas: propter quod ego ſum tecum, & nemo apponetur tibi ut noceat te: quoniam populus eſt mihi multus in hac ciuitate? Puto autem quod nemo audeat dicere ullam mũdi gentem, ullam terræ prætermittendã eſſe regionem, in qua non ſint eccleſiæ tabernacula dila-
Pſal.2. tanda, Dicente deo ad filium: Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuã, et poſſeßionem tuam
Pſal.21. terminos terræ. Et iterum: Reminiſcentur & cõuertentur ad dominum uniuerſi fines terræ. Et adorabunt in cõſpectu eius omnes patriæ gentiũ. Dicente
Mat.24. quoq; ipſo domino: Prædicabitur hoc Euangeliũ in uniuerſo mũdo in teſtimoniũ omnibus gentibus, & tũc uenict finis. Quæcunq; ergo gẽtes nondũ audie-

runt

runt, audient Euangelium, & credent quotquot ex eis præordinati sunt in uitam æternam. Non enim alij uenient in cõsortium hæreditatis Christi, quàm qui ante cõstitutionem mundi electi sunt, & prædestinati atque præsciti, secundum propositum eius, qui omnia operatur secundũ consilium uoluntatis suæ. Confiteamur igitur opera domini, & glorificemus misericordias eius. Nec impatienter feramus, quod quæ, aut quanta sint electionis uasa, non nouimus. Quia & in anterioribus seculis, quãdo de uni us gentis populo dicebatur: Notus in Iudæa deus, in Psal. 75.
Israël magnum nomen eius: futura gentium latebat electio, & postmodum innotuit, quod reuelatum ante nõ fuerat: sicut dicit Apostolus: Quod alijs ge-
nerationibus, non est agnitum filijs hominum, sicut Ephe. 3.
nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & Prophetis in spiritu, esse gentes cohæredes, & concorporales & compartiapes promißionis in Christo Iesu. Et in actibus Apostolorũ: Obstupuerunt, inquit, Act. 10.
ex circumasione fideles, qui uenerant cum Petro, quia & in nationes gratia spiritus sancti effusa est. Si enim hoc consiliũ uocationis suæ dominus quamdiu uoluit abscondit ac distulit, & quando uoluit reuelauit, sanctisq; eius ignorantia ista nõ nocuit, cur spei nostræ obesse credimus, si in quo numero, quibus ue hominibus uasa misericordiæ in gloriã præ-

parantur, occulitur? Cum tamen constet regnũ cælorũ omnes ingressuros bonos, hoc eis donante dei gratia: et nullos ingressuros malos, hoc ipsorũ merẽte nequitia. Nimiũ uero inepte, nimiumq; inconsiderate ab aduersantibus dicitur, quod per hanc dei gratiã libero nihil relinquatur arbitrio. Quãuis enim in paruulis baptismum transeuntibus, manifestissime nullum opus, nullusq; appetitus eorum uoluntatis existat: & plerosq; utentes quidẽ libero arbitrio, sed auersos à uero deo, uitamq; in flagitijs exigentes, liberatrix regeneratio in ipso exhalandi spiritus fine sanctificet: tamẽ si eam filiorũ dei partẽ, quæ ad pietatis opera reseruatur, pio cõsideramus intuitu, nónne in eis non peremptũ inueniemus liberũ arbitriũ, sed renatũ? Quod utiq; cum solũ esset, sibiq; permissum, non nisi in suam perniciem mouebatur. Ipsum enim se excæcauerat, et ipsum se inluminare nõ poterat. Nunc autẽ idem arbitriũ cõuersum est, nõ euersum. Et donatũ est ei aliter uelle, aliter sapere, aliter agere, & incolumitatẽ suam nõ in se, sed in medico collocare. Quia necdũ tam perfecta utitur sanitate, ut ea, quæ ei nocuerant, nequeant iam nocere: aut ab insalubribus possit iam uiribus suis temperare. Próinde homo, qui in libero arbitrio fuit malus, in ipso libero arbitrio factus est bonus: sed p̃ se malus, per deum bonus. Qui eum ita in illũ initialem honorem

alie

alio initio reformauit, ut ei non solũ culpã malæ uo/
lũtatis & actionis remitteret, sed etiã bene uelle, be
ne agere, atq; in his permanere donaret. Omne enĩ, Iacobi.1.
inquit, apostolus Iacobus, datiũ optimũ, et omne do/
nũ perfectũ desursum est, descẽdens à patre luminũ.
Qui quale sit liberũ arbitriũ, quod humano spiritu
agitur, & quale sit quod à deo regitur, euidenter
ostẽdit, dicens: Quod si zelũ amarũ habetis, & con Iacobi.3.
tẽtiones in cordibus uestris, nolite gloriari aduersum
ueritatẽ, & mendacæs esse. Nõ est ista sapientia de/
sursum descendẽs, sed terrena, animalis, diabolica.
Vbi enĩ zelus & cõtentio, ibi incõstantia & omne
opus prauũ. Quæ aũt desursum est sapiẽtia, primũ
qdẽ pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis,
plena misericordiæ et fructibus bonis, nõ dijudicãs,
sine simulatiõe. Quicũq; ergo his uirtutibus studẽt
atq; inhærẽt, nõ sua, sed superna sapientia inlustra/
ti sunt: Quoniam dominus dat sapientiã, & à facie Prou.2.
eius sciẽtia et ĩtellectus. Et hæc eorũ uerissima glo
ria est, si nõ in se, sed in domino gloriãtur. Ea autẽ
quæ de Fato, et de duabus massis, duabusq; naturis,
stultissimo mendacio, intenti uiri iniuriæ, iactitãt,
neque ipsum quidem onerant, in cuius libris copio=
sissime huiusmodi destruuntur errores: nec nos
perturbant, qui tales opiniones cum suis authori/
bus execramur. Sed uideant quomodo se à dedeco=
re istius exuant falsitatis, qui possunt tam incepta

cõfingere, si hi, quorum abutũtur auribus, aliquantulũ diligentiæ ad cognoſcenda ea, quæ præſtantiſſimus miniſter gratiæ diſputauit, intenderint. Liæt omnem iſtius inquiſitionis moram, ipſi, qui hæc loquuntur, præuenire deberent, proferendo atq; explicando libros, ullam ue eorũ particulam demonſtrando, quam per dubium ſaltem intellectum tali interpretationi obnoxium uir ſanctus ædiderit. Sed prorſus nihil apud nos tale audierunt, nihil tale legerũt: quia non fato quicquam geri, ſed omnia dei iudicio nouimus ordinari. Nec ex duabus maſſis, duabus ue naturis, ſed ex una maſſa, quæ eſt caro primi hominis, unam ſamus omniũ hominũ creatã, creariq; naturam. Et candẽ per ipſius primi hominis liberũ arbitrium, in quo omnes peccauerunt, eſſe proſtratam: nec ullo modo ab æternæ mortis debito liberam, niſi eam ad imaginẽ dei ſecundæ creationis Chriſti gratia reformauerit, liberumq; eius arbitrium agendo, ſperando, auxiliando, & uſque in finem præcundo ſeruauerit. Vnde, quia perſpicit ſanctitas tua, ſi tamen ſermonis mei nõ obſiſtit obſcuritas, fruſtra quoſdam de nobis cõqueri: & omnes illas ineptas criminationes, ad exaſperãdos, auertendosq; animos eorum, quibus aliud uolunt perſuadere, contexi. Confide ergo in uirtutem miſericordiæ dei: quoniam hæc contradictio, ſicut in alijs mũdi partibus, ita & in

his

bis regionibus cõquieſcit: ut prædicatio ſummi hoc tempore in eccleſia uiri, etiam ab his, à quibus ad præſens reuellitur, adiuuetur. Tu autem dilectiſsime & uenerãdiſsime mihi frater, ſi uere de his quæſtionibus inſtrui deſideras, ſicut deſiderare te conuenit, ipſis beati Auguſtini diſputatiõibus cognoſcẽdis impende curam: ut in confitenda dei gratia deſecatiſsimam ac ſaluberrimã Euangelicæ Apoſtolicæq; doctrinæ intelligentiam conſequaris. Gratia dei & pax domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat te in omni tempore, & per uiã ueritatis dirigat in uitam æternam.

Explicit Epiſtola Proſperi ad Rufinum, de gratia & libero arbitrio.

PRAEFATIO PROSPERI IN responsiones ad Capitula Gallorum.

DOCTRINAM, quam sancte memoriæ Augustinus episcopus contra Pelagianos, inimicos gratiæ Christi, & liberi arbitrij decõptores, per multos annos apostolicæ asseruit, literisq; mandauit, quibusdam uisum est aut non intellegendo, aut intellegi eã nolendo, reprehendere. Et hoc quasi compendium cognitionis his, qui iudicio eorum ducebantur, afferre: ut quæ in libris prædicti uiri damnabilia reperisse iactabant, breuium capitulorum indiculis publicarent: taliq; cõmento & detestationẽ eius, quem impeterent, obtinerent, & ab his, quæ infamassent, curam exterriti lectoris auerterent. Ne ergo hanc persuasionem temere quis reapiat, & talem putet sensum scriptis catholici inesse doctoris, qualem eum, qui frustra calumniantur, ostentant, singulis capitulis quædam rationis titulo prænotarum, breui, & absoluta professione respondeo. In nullo recedens à tramite earum definitionum, quæ in sancti uiri disputationibus continentur: ut facile uel tenuis diligentiæ aduertat inspector, quàm iniustis obprobrijs catholici prædicatoris memoria carpatur: Et in quod peccatũ cadant, qui aliena instigatione cõmoti, scriptorem ee leberrimi noĩs, promptius habeãt culpare, q̃ nosse.

Finis præfationis.

INCIPIUNT CAPITVLA CALVMNIANTIVM GALLORVM, QVIBVS ET RESPONDETVR.

OBIECTIO. *Capitulum Primum.*

QVod ex prædestinatione dei, uelut fatali necessitate, homines ad peccata conpulsi, cogantur in mortē.

RESPONSIO.

PRAEDESTINATIONEM *dei nullus catholicus negat: fatalē aūt neæßitatem, multi, etiā nō Christiani, refutant. Peccatū ergo ad mortem trahit, sed ad peccandum neminem deus cogit. Nemini enim mādauit impie agere: ut, odisti domine omnes qui operantur iniquitatem, perdes eos qui loquuntur mendaciū. Proinde qui prædestinatiōis nomine fatū prædicat, tā nō est probādus, quàm qui fati nomine ueritatē prædestinationis infamat. Fati enī opinio uana est, et de falsitate cōcepta. Prædestinatiōis autem fides, multa sanctarum authoritate scripturarum* Psal. 5.

rarum munita est: cui nullo modo fas est ea, quæ ab hominibus male aguntur, adscribi: qui in procliuitatem cadendi non ex conditione dei, sed ex primi patris præuaricatione uenerunt. De cuius pœna nemo liberatur, nisi per gratiam domini nostri Iesu Christi præparatam, & prædestinatam in æterno cõsilio dei ante constitutionem mundi.

OBIECTIO. *Capitulum Secundum.*

QVod ab eis, qui non sunt prædestinati ad uitã, non auferat perceptа baptismi gratia originale peccatũ.

RESPONSIO.

QVMNIS HOMO, *qui credens in patrem & filium & spiritũ sanctum, regeneratur in baptismo, tam à proprijs peccatis, quæ mala uoluntate & actione contraxit, quàm ab originali, quod à parentibus traxit, absoluitur. Sed relapsum post baptismum ad infidelitatem & impios mores, qui negat originali peccato fuisse purgatum, tam falsa opinatur, quàm qui eundem adscrit, non æterna morte esse damnandum. Qui enim recedit à Christo, & alienus à gratia finit hanc uitam, quid nisi in perditionem cadit?*

Sed

Sed nõ in quod remiſſum eſt, recidit, nec in originali peccato damnabitur: qui tamen propter poſtrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ remiſſa ſunt, debebatur. Quod quia dei præſcientiã nec latuit, nec fefellit, ſine dubio talẽ nunquam elegit, nunquã prædeſtinauit, & periturum nunquam ab æterna perditione diſcreuit.

OBIECTIO. *Capitulum Tertium.*

QVod non prædeſtinati ad uitam, etiam ſi fuerint in Chriſto per baptiſmum generati, & pie iuſteq; uixerint, nihil eis proſit, ſed tam diu reſeruẽtur donec ruant & pereãt. Nec ante eos ex hac uita, quã hoc eis cõtingat, auferri.

RESPONSIO.

ASANCTITATE *ad inmundiciã, à iuſtitia ad iniquitatẽ, à fide ad impietatẽ plerosq; tranſire nõ dubium eſt: et tales ad prædeſtinationẽ filiorum dei, cohæredum Chriſti, non pertinere certiſſimum eſt. Quod ergo huiuſmodi in hæc prolapſi mala, ſine correctione pœnitẽtiæ defecerunt, nõ ex eo neceſſitatẽ*

percundi

pereundi habuerũt, quia prædeſtinati non ſunt: ſed ideo prædeſtinati nõ ſunt, quia tales futuri ex uoluntaria præuaricatione præſciti ſunt. Quod autem illos nõ eo tẽpore, quo in fide recta et bonis moribus erãt, ab hac uita abſtulit, ad occulta eius iudicia, quæ tamẽ nunq̃ ſunt iniuſta, referendũ eſt. Quis enim neſciat intra unam conditionem mortalitatis humanæ, ab unius horæ infantia, uſq; ad annoſiſſimã ſenectutẽ, exitus morientium, impari ætatis fine uariari? Neq; cuiuſquam animam uel tardius quàm deus uoluerit, à corpore quod uiuificat, abſcedere? Si ergo aliquis in uitæ ſuæ longitudine deſeruit deum, bono, qđ erat ex deo, male uſus eſt. Nam longæuitas non eſt niſi ex deo. Et quod ex deo eſt, non niſi bonum eſt: & quod bonũ eſt, mali cauſa nõ eſt. Nõ itaq; recte opinatur, qui putat prorogatorẽ uitæ, lapſuris authorẽ eſſe peccati. Cũ utiq; nõ peccatũ ſit diu uiuere, ſed male uiuere: quod etiã in paucorum annorũ ætate fieri poteſt. Igitur ſicut bona opera ad inſpiratorẽ eorum deum, ita mala ad eos ſunt referenda qui peccant. Non enim relicti ſunt à deo ut relinquerent deum, ſed reliquerunt & relicti ſunt, & ex bono in malum propria uoluntate mutati ſunt? Atq; ab hoc licet fuerint renati, fuerint iuſtificati, ab eo tamẽ, qui illos tales præſciuit, non ſunt prædeſtinati.

OBIECTIO. *Capitulum Quartum.*

QVod non omnes homines uocentur ad gratiam.

RESPONSIO.

NON omnes uocari ad gratiã eos, q̃bus omnibus Euangeliũ prædicatur, nõ recte dicitur, etiãsi sint qui Euãgelio nõ obaudiant: nisi ad eos respicitur, quibus nondum sacramẽtum crucis Christi, & redemptio sanguinis eius innotuit. Quia etiãsi cõstaret, quod iam in uniuersis nationibus, & omnibus finibus terræ totus mundus Euangeliũ recepisset (quod utiq; futurũ uerissime prænuntiatum est) non esset tamen dubiũ, à tempore resurrectionis domini usq; ad præsentẽ ætatem fuisse homines, qui ab hac uita sine Euangelij cognitione transierint: de quibus dici posßit, quod uocati nõ sint, quia nec ſpem uocationis audierint. Quod si quisquã hãc uocationis plenariam generalitatẽ, ita semper asserit cælebratã, ut ab ascensione domini in cœlũ, ne unus quidẽ annus effluxerit, intra quem nõ ad omnes prædicatio missa peruenerit, uideat quomodo tũc Asianos uocatos probet, quando Apostoli (sicut scriptum est) uctiti sunt ab ſpiritu sancto, loqui uerbũ dei in Asia: Act. 16.

aut

aut Bithynios. Ad quos idem Apostoli temptabant ire, & non permisit eos spiritus Iesu. Videat etiam
Mat.24. quomodo tueatur denuntiationẽ ipsius ueritatis dicentis: Prædicabitur hoc Euãgelium in uniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc ueniet finis. Nutat namq; (quod dici nefas est) fides uerbi, si ante quadringentos annos Euãgelio impletus est mundus, & adhuc domini differtur aduẽtus. Postremo respiciantur etiam inter Christianos populos tot milia paruulorũ, qui ab hac uita sine baptismo trãsierũt, & aliquo modo probẽtur uocati, quibus nec plantator prædicare, nec rigator potuit subuenire.

OBIECTIO. Capitulum Quintum.

QVod qui uocati sunt, nõ æqualiter sint uocati, sed alij ut crederent, etc.

RESPONSIO.

SI VOCATIO in Euangelij tãtum prædicatione intelligatur, non uerace ter dicitur, quod alijs atque alijs, aliter atque aliter prædicetur: cum unus sit deus, una fides, una regeneratio, una promißio. Si autem ad effectum plantationis & rigationis aspiãtur, aliud actum est cum eis, quorum exteriores aures corporali uoce pulsatæ sunt: aliud in eis, quorum interiorem

interiorem ſenſum deus aperuit, & in quorum corde poſuit fidei fundamentum, dilectionisq; feruorem. Quosdam autē ideo uocatos dicere ut nō crederent, nimis abſurdum eſt: quaſi uocatio eis cauſa infelicitatis extiterit, & prædicatio fidei fecerit infideles. Quāuis enim diſpenſatores uerbi dei quibusdā ſint (ſicut ſcriptū eſt) Odor mortis ad mortē: deo tamē bonus Chriſti ſunt odor, qui prædicant Chriſtū crucifixum, Iudeis quidē ſcandalū, Gentibus autē ſtultitiā. Ipſis autē uocatis Iudæis & Græcis, Chriſtū dei uirtutem & dei ſapientiam. Quod ergo prædicatus Chriſtus crucifixus, Iudæis erat ſcandalū, & Gentibus ſtultitia, humanæ uoluntatis faciebat auerſio. Quomodo uero ipſis uocatis Iudæis & Græcis, Chriſtus erat dei uirtus & dei ſapientia, diuinæ gratiæ præſtabat operatio.

2. Cor. 2.
1. Corin. 1

OBIECTIO. Cap. SEX.

QVod liberū arbitrium in homine nihil ſit, ſed, ſiue ad bonū, ſiue ad malū, prædeſtinatio dei in hominibus operetur.

RESPONSIO.

LIBERVM ARBITRIVM nihil eſſe, uel non eſſe, perperam dicitur: ſed ante illuminationem fidei in tenebris eam et

in umbra mortis agere, non recte negatur. Quomodo prius quàm à dominatione diaboli per dei gratiam liberetur, in illo profundo iacet, in quod se sua libertate demersit. Amat ergo languores suos, & pro sanitate habet, quod ægrotare se nescit, donec prima hæc medela conferatur ægroto, ut incipiat nosse quod langueat, & possit opem medici desiderare qua surgat. Iustificatus itaque homo, id est, ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito acàpit donum, quo modo adquirat & meritum: ut quod in illo inchoatū est per gratiam Christi, etiam per industriam liberi augeatur arbitrij, nunquam remoto adiutorio dei, sine quo nec profiære nec permanere in bono quisquam potest. Prædestinationem autem dei, siue ad bonum siue ad malum, in hominibus operari, ineptissime dicitur, ut ad utrunq; homines quædam necessitas uideatur impellere: cum in bonis uoluntas sit intelligenda de gratia: in malis autem uoluntas intelligenda sine gratia.

OBIECTIO. Cap. VII.

QVod deus quibusdam filijs suis, quos regenerauit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit,

ob hoc

ob hoc nõ dẽt perſeuerantiam, quia nõ ſunt a maſſa perditionis præſciẽtia dei, & prædeſtinatione diſcreti.

RESPONSIO.

EX REGENERATIS in Chriſto Ieſu, quosdam, relicta fide & pijs moribus, apoſtatare à deo, & impiam uitam in ſua auerſione finire, multis (quod dolendum eſt) probatur exemplis. Sed horũ lapſum deo aſſcribere, immodicæ prauitatis eſt: quaſi ideo ruinæ ipſorũ impulſor atque author eſt, quia illos ruituros propria ipſorum uoluntate præſciuit: & ob hoc à filijs perditionis nulla prædeſtinatione diſcreuit. Nam quomodo eos haberet præordinata in Chriſto electio, cum dubium non ſit, idoneam dei eſſe perſeuerãtiam in bono uſque ad finẽ, quam iſtos ex eo ipſo, quod non perſeuerauerunt, nõ habuiſſe manifeſtum eſt. Nõ eſt calumniandum deo quare iſtis non dederit quod alijs dedit: ſed confitendum eſt, & miſericorditer eum dediſſe quod dedit, & iuſte non dediſſe quod non dedit. Ne quemadmodum ex libero arbitrio oritur cauſa laudi, ita ex ipſo uideatur & ſtandi: cum illud hu-

mano fiat opere, hoc diuino impleatur ex munere.

OBIECTIO. Cap. Octa.

QVod nõ omnes homines uelit deus saluos fieri, sed certum numerum prædestinatorum.

RESPONSIO.

SI CIRCA *uniuersitatem generis humani saluandam, & in agnitionẽ ueritatis uocandã, ita indifferens per omnia secula asserenda est uolũtas dei, ut usq; quaq; neminẽ hominũ prætermisisse monstretur, impenetrabilis iudiciorum dei altitudo pulsatur. Quare enim in præteritis seculis dimiserit deus omnes*

Psal.134. *gẽtes ingredi uias suas, quãdo Iacob elegit sibi dominus:*

Psal.147 *&, non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua*

1.Petr.2. *non manifestauit eis: Et cur qui aliquando nõ populus, nunc autem populus dei sit: & quorum aliquando non misertus est, nunc autem misereatur: Et ubi*

Osee.2. *dictũ est, nõ plebs mea uos, ibi uocẽtur filij dei uiui:*

Rom .11. *&, quare quod quærebat Israel nõ sit consecutus, electio autẽ consecuta est, cæteri uero excæcati sunt, impossibile est comprehendere, & periculosæ curiositatis est quærere: cum tamen, quod nulla sit apud de-*

2.Par.19. *um ini-*

um iniquitas, nemini liceat ignorare: nec alia gratia, aut alia fide, quemquam hominum siue ante legem, siue legis tempore iustificatum esse credendum sit, quàm hac eádē, per quā dominus noster Iesus Christus secundum consilium uoluntatis suæ, in fine sæculorum uenit quærere & saluare quod perierat. Causas uero operum et iudiciorum dei, qui ex toto adhumanas uoluntates & actiones refert, quas tamen in paruulorum adoptione aut abdicatione nō inuenit, & dispensationes dei ex liberi arbitrij uult mutabilitate uariari, profitetur sibi scrutabilia iudicia dei, & uestigabiles uias eius. Et quod doctor gentiū Paulus non audebat attingere, hic se æstimat reseratum posse uulgare. Quodq; non minoris impietatis est, ipsam gratiam, qua saluamur, aut bonis meritis docet rependi, aut malis adfirmat arceri. Remoto ergo obscurarū turbine quæstionum, ad reuelatæ nos gratiæ latitudinem conferamus. Dicamusq; cum Apostolo, quomodo deus uult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem ueritatis uenire. Et iterum dicamus cū Apostolo: qui est saluator omniū, maxime fideliū. Et audiamus dominū dicentē Apostolis suis: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, docentes eos quæcunque mandaui uobis. Audiamus quoq; ad Abraham promissionem dei dicentis: In semine

Matt. 18.

Rom. 11.

1. Timo. 2

1. Timo. 4

Matt. 28.

Gene. 26

tuo benedicentur omnes tribus terræ. Et ſi filij promiſſionis ſumus, non hæſitemus diffidentia, ſed cum patre noſtro Abraham demus gloriã deo, et pleniſſime credamus, quomodo quod promiſit, potens eſt & facere. Audiamus Dauid prophetantem: Commemorabuntur & conuertentur ad dominum uniuerſi fines terre, & adorabunt in cõſpectu eius omnes patriæ gentium. Et alibi: Benedicentur in ipſo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum. Et alibi: Omnes gẽtes quaſcunq; feciſti, uenient et adorabunt coram te domine, & glorificabunt nomen tuum. Quæ promiſſiones, quia ueriſſimæ ſunt, nec poſſunt ex ulla parte nutare, in his implentur, qui ſalui fiunt per uniuerſos fines terræ: quomodo quod promiſit deus, potens eſt & facere. Hæc ergo eſt illa totius humani generis adſumptio, hæc filiorũ dei adoptio, hæc Gentiũ plenitudo, præſcita & prædeſtinata in Chriſto ante conſtitutionẽ mũdi, hæc eſt Hieruſalem, quæ ab initio uſq; in finẽ lapidibus uiuis et electis ædificatur, ut ciuitas fundata in ipſo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa, creſcit in templũ ſanctũ in domino. De his lapidibus nihil ejãtur, nihil minuitur, nihil rapitur. Veritas enim dicit: Omne qd̃ dat mihi pater ueniet ad me, & eũ qui uenit ad me nõ eijãm foras. Et iterum: Non

Pſal. 21.

Pſal. 71.

Pſal. 85.

Rmo. 4.

Ioan. 6.

Ioan. 10.

ditis, quia non estis de ouibus meis. Oues meæ uocem meam audiunt, & ego noui illas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do illis, & non peribunt in æternum, nec quisquam rapiet eas de manu mea. Omnium ergo hominum cura est deo: & nemo est, quem non aut Euangelica prædicatio, aut legis testificatio, aut ipsa etiam natura conueniat. Sed infidelitatem hominum, ipsis adscribamus hominibus. Fidem autem hominum, donum dei esse fateamur, sine cuius gratia nemo currit ad gratiam. Et cum ducentis quatuordecim sacerdotibus, quorum cõstitutionem contra inimicos gratiæ dei totus mũdus amplexus est, ueraci professione, quemadmodum ipsorum habet sermo, dicamus, gratiam dei per Iesum Christum dominum, non solum ad cognoscendam, uerumetiam ad faciendam iustitiam nos per actus singulos adiuuare: ita, ut sine illa nihil ueræ sanctæq; pietatis, habere, cogitare, diære, agere ualeamus. Neq; hæc dona ita ex deo esse opinemur, ut quia ipse naturæ nostræ author est per conditionem, iam hæc contulisse uideatur. Quia dedit quidẽ ab initio hanc homini facultatem: sed omnes eam in illo amisimus, in quo omnes peccauimus. Vnde alia creatione, alioq; principio renouari egemus in Christo: in quo sumus noua creatura, nouũq; figmẽtũ: et

per quem nobis, nullis bonis, & multis malis meritis præcedentibus, donatur, ut simus ex uasis iræ, uasa misericordiæ.

OBIECTIO. Capitulum Nonum.

QVod nõ pro totius mũdi redemptione saluator sit crucifixus.

RESPONSIO.

NVLLVS omnino est ex omnibus hominibus, cuius natura in Christo domino nostro suscepta nõ fuerit, quãuis ille natus sit in similitudine carnis peccati: Omnis autem homo nascatur in carne peccati. Deus ergo dei filius, mortalitatis humanæ particeps factus absq; peccato, hoc peccatoribus & mortalibus cõtulit, ut qui natiuitatis eius consortes fuissent, uinculũ peccati et mortis euaderẽt. Sicut itaq; non sufficit hominũ renouationi, natum esse hominem Iesum Christum, nisi in ipso eodem, de quo ipse ortus est, spiritu renascantur: sic non sufficit hominum redemptioni, crucifixum esse dominum Christum, nisi commoriantur ei, & consepeliantur in baptismo. Alioquin nato saluatore in carne substantiæ nostræ, & crucifixo pro omnibus nobis, non fuerat necessarium

neceſſarium ut renaſceremur, & ſimilitudine mortis eius conplantaremur: ſed cum ſine hoc ſacramento, nemo hominum conſequatur uitam æternam, nõ eſt ſaluatus cruce Chriſti, qui non eſt crucifixus in Chriſto. Non eſt autem crucifixus in Chriſto, qui nõ eſt membrũ corporis Chriſti, qui nõ per aquã & ſpiritũ ſanctũ induit Chriſtũ. Qui ideo infirmitate noſtra cõmunionẽ ſubijt mortis, ut nos in uirtute eius haberemus cõſortiũ reſurrectionis. Cũ itaq; rectiſſime dicatur ſaluator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter ueram humanæ naturæ ſuſceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem: poteſt tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipſius profuit. Dicit enim Euangeliſta: quia Ieſus moriturus erat pro gente, non tantum pro gente, ſed etiam ut filios dei diſperſos congregaret in unum. In ſua enim uenit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatẽ filios dei fieri. Qui non ex ſanguinibus, neque ex uolũtate carnis, neq; ex uoluntate uiri, ſed ex deo nati ſunt. Diuerſa ergo ab iſtis ſors eorum eſt, qui inter illos cenſentur, de quibus dicitur, ut poßit ſecundũ hoc dici redemptor mundi: dedit pro mundo ſanguinem ſuum, & mundus redimi noluit: quia lucem tenebræ non receperunt. Et tenebræ receperũt: quibus dicit Apoſtolus: Ioan. ii. Ioan. i.

Ephe. 5. Fuistis aliquando tenebræ, nũc autẽ lux in domino.

Luce. 19. Ipse uero dominus Iesus, qui dixit se uenisse quærere & saluare quod perierat, non ueni, inquit, nisi ad oues quæ perierant domus Israël. Neq; quia sunt semen Abrahæ omnes filij, sed in Isaac uocabitur tibi semen: id est, non qui filij carnis, hi filij dei: sed qui filij promissionis æstimantur in semine. In istis ergo sunt illi, de quibus dictũ supra memorauimus: quia Iesus moriturus erat pro gente: non tantũ pro gente, sed etiam ut filios dei dispersos congregaret in unum. Quia non solum ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus, per eum, qui uocat quæ non sunt, tanquam quæ sunt, & qui dispersos Israël cõgregat, filij dei, filij promissionis in unam ecclesiam congregãtur: ut impleatur quod promissum est Abrahæ, ait dictum est: quod in semine eius benedicendæ essent omnes tribus terræ.

Gene. 21.

OBIECTIO. Cap. X.

QVod quibusdã Euãgelij prædicatio à domino subtrahat, nec percepta Euãgelij prædicatione saluentur.

RESPONSIO.

SI PROBARI POTEST, quod ex quo euangeliũ prædicatur, nemo prorsus

ſus fuerit, cui Chriſtiana gratia adnuntiata non fuerit, non recte dicitur tacitum, quod oſtenditur prædicatum. Si autem aliquo modo inueniuntur homines, quibus Euangelium non fuerit prædicatum, non poteſt dici ſine iudicio dei factum: quod nefas eſt ideo reprehendi, quia non poteſt comprehendi.

OBIECTIO. Cap. XI.

QVod per potentiam deus homines ad peccata compellat.

RESPONSIO.

NVLLVS CATHOlicorum dixit aut dicit, quod deus homines pie rectéque uiuentes, per potentiam in peccata conpellat, & innocentiæ humanæ, poteſtas diuina uim faciat, ut eam à propoſito bonæ conuerſationis excutiat. Non ſunt dei opera iſta, ſed diaboli: cuius gaudium eſt ruina ſanctorum: ſed alleuat dominus omnes qui corruũt, & erigit omnes eliſos: quibus dat pœnitentiam, ut reſipiſcãt à diaboli laqueis, à quo captiui tenebãtur ad ipſius uoluntatẽ. Cũ uero aliquos à deo aut traditos deſiderijs ſuis, aut obduratos legimus aut relictos, pſal. 144.

lictos, magnis peccatis suis hoc ipsos meruisse profitemur: quia talia eorum crimina praecesserũt, ut ipsi sibi poenas debuerint, quae eis etiã supplicium uerterent in reatũ. Atq; ita nec de iudicio dei querimur, quo deserit meritos deseri: et misericordiae eius gratias agimus, qua liberat non meritos liberari.

OBIECTIO. Cap. Duodeci.

QVod quibusdam uocatis, & pie iustecq; uiuẽtibus, obediẽtia subtrahatur, ut obedire desistant.

RESPONSIO.

SI DEVS HOMINEM *sibi obedientem à pietate deturbat, & bene currentem cadere facit, ergo pro bonis mala retribuit, et iniuste punit, quod ut fiat, impellit. Quid tam peruersum, quid tam insanum dici aut cogitari potest? Sed in talem sensum trahuntur, qui putant in omnibus hoc esse praescientiam dei, quod & uoluntatem: cum uoluntas eius nunquam uelit nisi bona, praescientia autem & bona nosci & mala: sed bona quae aut & ipse faciat, aut etiam ut nos faciamus impertit: Mala autem quae omnino ipse non fecit, neque fieri suasit aut impulit. Vires itaque*

obedientiae

obedientiæ non ideo cuiquam ſubtraxit, quia eum non prædeſtinauit: ſed quia receſſurum ab ipſa obedientia eſſe præuidit.

OBIECTIO. Capit. XIII.

QVod quidã homines non ad hoc à deo creati ſunt, ut uitam adipiſcerentur æternam, ſed ut habitum tantummodo ſeculi preſentis ornarent, & ad utilitatem naſcerentur aliorum.

RESPONSIO.

NIVERSOS homines non ignoramus à deo ſingillatim creari: & de hac uniuerſitate alios damnãdos cum diabolo, alios regnaturos eſſe cum Chriſto. Quod ergo etiam hi creantur, qui æternæ uitæ participes non erunt, nulla eſt culpa creatoris, qui naturæ author eſt, non uitij, quod natura contraxit. Ornari autem etiam talium conditionc mundi huius uarietatem quis non intelligat, qui uideat ſtudijs & operibus quorundam impiorum tot commoda uitæ præſentis inſtructa in

inuentionc

inuentione artium, in extructione urbium, in constitutione legũ, in confœderatione populorum? Quod si quæritur an de istis, quos à uera religione impius error auertit, aliquid boni profectibus sanctorum, et incrementis ecclesiæ prouidentia diuina contulerit, inspiciatur primum ipsa crux Christi: in qua magno scelere Iudæorum misericors uoluntas dei, ut pro redemptione nostra unicus filius eius occideretur, impleta est. Inspiciatur Apostolorum gloriosa tolerantia, inter persequentium fremitus hac

Act. 4. *animi uoce ad deum clamantium: Conuenerunt ergo uere in ciuitate ista, aduersus sanctum puerum tuum Iesum quem unxisti, Herodes & Pontius Pilatus, cũ gentibus & populis Israël, ut facerent quæ manus tua & consilium prædestinauit fieri. Inspiciantur deniq; innumerabilium martyrum palmæ, quibus de crudelissima infidelium sæuitia felix est collata uictoria. Audiatur etiam Apostolus ecclesiam*

Philp. 1. *dei ad perseuerantiam pietatis instituens: In nullo, inquit, terreamini ab aduersarijs, quæ est illis causa perditionis, uobis autem salutis, & hoc à deo. Vobis enim donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiã ut pro illo patiamini. De illis quoque erroribus cõsulens nobis dei bonitas, sentiatur, quos deus in ecclesia contra ecclesiam permisit exurgere. Non utique eos creans aut fouens, sed*

per

per ipſos diligentiam filiorum ſuorum ad inquiſi/tionem & cuſtodiam ueritatis exercens, dicente Apoſtolo: Oportet hæreſes eſſe, ut probati manifeſti fiant in uobis. Quis autem reſpiciens ad tenebras impiorum, & ad inluminationem filiorum, non ad gratias agendas deo, ex ipſa fiat conlatione feruentior: & in ruina pereuntium diſcat, in quæ mala per liberum arbitrium rucret, niſi ei per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum dei gratia ſubueniret. 1. Cori. 11.

OBIECTIO. Cap. XIIII.

QVod qui Euangelicæ prædicatio/ni non credũt, ex dei prędeſtina/tione non credant. Et quod deus ita de/finierit, ut quicunq; nõ credunt, ex ipſi/us conſtitutione non credant.

RESPONSIO.

INFIDELITAS NON *credentium Euangelio, nequaquam ex dei prædeſtinatione generatur. Bonorum enim deus author eſt, non malorum.*

malorum. Prædestinatio igitur dei semper in bo
Psal.24. no est, aut ad retributionem iustitiæ, aut ad do-
nationem pertinẽs gratiæ. Vniuersæ enim uiæ do-
mini misericordia & ueritas. Proinde infidelitas
non credentium, non ad constitutionem dei, sed ad
præscientiam referenda est. Quæ non ideo necessi-
tatem non credendi intulit, quia fălli de ea, quæ fu-
tura erat, infidelitate, non potuit. Fides autem &
charitatis opera, atq; in eis usque in finem perseue
rãtia, quia homini per dei gratiã cõferũtur, recte et
ista, & quæ eis retribuẽda sunt, prædestinata dicun
tur: ex authoritate Apostoli, qui ait: Gratia dei sal-
Ephe.2. ui facti estis per fidem, & hoc non ex uobis, sed dei
donum est. Nõ ex operibus, ne forte quis extollatur.
Ipsius enim sumus figmentum, creati in operibus bo
nis, quæ præparauit deus ut in illis ambulemus. Tũ
ergo in errore est, qui infidelitatẽ impiorũ ad dei cõ
stitutionem refert, quàm qui fidei iustitiæq; sancto-
rum, non deum profitetur authorẽ. Qui enim quod
acceperat perdidit, non inde id recipit unde perdi-
dit, sed ab illo recipit quod habeat, à quo quod ami-
sit, acceperat.

OBIECTIO. Cap. XV.

QVod idem sit præscientia quod prædestinatio.

Responsio.

RESPONSIO.

QVI PRAESCIENTIAM *dei in nullo ab ipſius prædeſtinatione diſcernit, quod tribuendum eſt deo de bonis, hoc ei etiam de malis conatur aſſcribere. Sed cum bona ad largitorem, cooperatoremq; eorum deum, mala autem ad uoluntariam rationalis creatoris nequitiam referenda ſint, dubium non eſt, ſine ulla temporali differentia deum & præſciſſe ſimul & prædeſtinaſſe, quæ ipſo erant authore facienda, uel quæ malis meritis iuſto erant iudicio retribuenda. Præſciſſe autem tantũmodo, nõ etiam prædeſtinaſſe, quæ non ex ipſo erant cauſam operationis habitura. Poteſt itaq; ſine prædeſtinatione eſſe præſcientia. Prædeſtinatio autem ſine præſcientia eſſe nõ poteſt. Quamuis ergo ad omnes obiectiones ſeu quærulæ imperitiæ, ſeu fallacis inuidiæ, planiſſime ac pleniſſime, quantum dominus dedit, exiſtimem eſſe reſponſum, Profeſſionem tamen ſenſus noſtri etiam in breuia coartemus: ut ſub paucorum uerborum ſimplicitate, magis magis que appareat, nos, quod de ſupra ſcriptis capitulis intellegimus, nulla circumloquendi arte prætexere, ſed abſolute ac libere, et prauã reſpuere, & conſenſum probabilibus nõ negare.*

SENTENTIA SVPER PRIMO.

De singulis capit. singulæ sententiæ.

QVISQVE igitur ex prædestinatione dei, uelut fatali necessitate homines in peccata cōpulsos, cogi dicit in mortē, nō est catholicus. Nullo enim modo prædestinatio dei iniquos facit, neque cuiusquā omnino est causa peccati.

SENTENTIA SVPER II.

ITEM, qui dicit quod ab his qui nō sunt prædestinati ad uitā, nō auferat percepta baptismi gratia originale peccatū, non est catholicus. Sacramentum enim baptismatis, quo omnia prorsus peccata delentur, etiam in eis uerum est, qui non sunt in ueritate mansuri, & ob hoc ad uitam ueram non sunt prædestinati.

SENTENTIA SVPER III.

ITEM, qui dicit quod non prædestinati ad uitam, etiam si fuerint in Christo baptismate regenerati, & pie iusteq; uixerint, nihil eis prosit, sed tam diu reseruētur donec ruant: nec ante eos ex hac uita, quàm hoc eis contingat, auferri, tanquam ad cōstitutionem dei talium hominum ruina referenda sit, non est catholicus. Quia non ideo deus tempus ætatis cuiquā prolongauit, ut diu uiuendo corrueret, & à fide recta in sua longæuitate deficeret: cum inter beneficia dei numeranda sit ipsa longæuitas,

nitas, qua homo melior debuit esse, nõ peior.

SENTENTIA SVPER IIII.

ITEM, qui dicit quod non omnes uocentur ad gratiam, Si de his loquitur, quibus Christus adnuntiatus non est, reprehendi non debet: quia sanctus quidem in omnes fines terræ Euangelium destinatum, sed non putamus iam in omnibus terræ finibus prædicatum. Nec poßumus dicere quod ibi sit gratiæ uocatio, ubi matris ecclesiæ adhuc nulla est regeneratio.

SENTENTIA SVPER V.

ITEM, qui dicit quod qui uocati sunt, nõ æqualiter uocati sint, sed alij ut crederent, alij ut non crederent, quasi cuiquam uocatio causa fuerit non credendi, non recte dicit. Quamuis enim fides non sit nisi ex dei dono, & hominis uoluntate: infidelitas tamen non est, nisi ex sola hominis uoluntate.

SENTENTIA SVPER VI.

ITEM, qui dicit quod liberum arbitrium in homine nihil sit, sed siue ad bonũ siue ad malũ prædestinatio dei in hominibus operetur, nõ est catholicus. Arbitriũ enĩ hominis gratia dei nõ abolet, sed adolet, et ab errore in uiã reuocat ac reducit. Vt qđ sua libertate erat prauũ, spiritu dei agente sit rectũ. Prædestinatio quoq; dei semper in bono est: quæ pec

catum, sola hominis uoluntate commissum, aut remittendum nouit cum laude misericordiæ, aut plectendum cum laude iustitiæ.

SENTENTIA SVPER VII.

ITEM, qui dicit quod deus quibusdã filijs suis quos regenerauit in Christo, quibus fidẽ, spem, dilectionẽ dedit, ob hoc perseuerãtiam non dederit, quia à massa perditionis præscientia dei, & prædestinatione non sint discreti: Si hoc uult firmare, quod deus huiusmodi homines in bonis, quæ donauerat, noluerit permanere, & ipse eis causa auersionis extiterit, contra iustitiã dei sentit. Quibus enim omni potentia dei potuerit uires standi præbere lapsuris: gratia tamen eius nõ prius eos deseruit, quàm ab eis desereretur. Et quia hoc ipsos uolũtaria facturos defectione præuidit, ideo in prædestinationis electione illos non habuit.

SENTENTIA SVPER VIII.

ITEM, qui dicit quod non omnes homines uelit deus saluos fieri, sed certum numerum prædestinatorum: Durius loquitur, quàm loquẽdum est de altitudine inscrutabilis gratiæ dei: qui & omnes uult saluos fieri, atque in agnitionem uenire ueritatis: & uolũtatis suæ propositum in eis implet, quos

præscitos

præscitos prædestinauit, prædestinatos uocauit, uocatos iustificauit, iustificatos glorificauit. Nihil amittens de plenitudine gentium, & de omni semine Israël, cui præparatum est in Christo regnũ æternum ante cõstitutionem mundi. Ex toto enim mundo totus mũdus elegitur, et ex omnibus hominibus, omnes homines adoptantur. Nec potest ullo modo per infidelitatem atque inobedientiam multorum, dei promißio uacillare, dicẽtis ad Abraham: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Quod autem promisit deus, potens est & facere: ut & qui saluantur, ideo salui sint, qa illos uoluit deus saluos fieri: & qui pereunt, ideo pereant, quia perire meruerũt. Gen. 26.

SENTENTIA SVPER IX.

ITEM, qui dicit quod non pro totius mundi redemptione saluator sit crucifixus: non ad sacramenti uirtutem, sed ad infidelium respicit partem: cum sanguis domini nostri Iesu Christi precium totius mũdi sit. A quo precio extranei sunt, qui aut delectati captiuitate, redimi noluerũt: aut post redemptionem ad eandem sunt seruitutẽ reuersi. Nõ enim cecidit uerbum domini, neque euacuata est mundi redemptio. Quia & si non cognouit mundus deum in uasis iræ, cognouit tamen mundus deum in uasis misericordiæ. Quæ deus nullis eorum bonis meritis

præcedẽtibus, eruit de potestate tenebrarũ, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.

SENTENTIA SVPER X.

ITEM, qui dicit, quod quibusdam Euangelij prædicatio à domino subtrahatur, ne perceptu Euangelij prædicatione saluentur, Potest obiectionis inuidiam declinare patrocinio ipsius saluatoris: qui apud quosdam, quos ait fuisse credituros, si mirabiliorum eius signa uidissent, noluit operari. Et quibusdam populis uetuit Apostolos euangelizare: & nunc aliquas adhuc gentes patitur extra gratiã suam degere: cum tamen constantissima fide perceptum habeamus, in omnes mundi partes ecclesiam dilatandã. Nec ante esse hoc seculũ finiendũ, quàm in uniuersas fines terræ Euangelium dirigatur, Et omnis lingua confiteatur, quoniam Iesus in gloria dei patris est.

SENTENTIA SVPER XI.

ITEM, qui dicit quod per potentiam deus homines in peccata compellat, merito reprehenditur. Nec enim deus, qui iustitiæ & bonitatis author est, & cuius omnia statuta & mandata contra peccatũ sunt, quenquã ad peccandũ cogere, & ab innocentia in facinora præcipitare credendus est. Si qui autem

aũt tam profundæ impietatis sunt, ut extra remediũ correctionis habeantur, nõ à deo incrementa iniquitatis accipiũt, sed per semetipsos deteriores fiunt: quæ relinqui à deo, ac sibi ac deceptoribus suis tradi propter præcedentia peccata meruerunt, ut eis peccatũ sit ipsa etiam pœna peccati.

SENTENTIA SVPER XII.

ITEM, qui dicit quod quibusdam uocatis, & pie iusteq; uiuentibus, obedientia subtrahatur ut obedire desistant, Male opinatur de bonitate dei atq; iustitia, ut uideatur ad impietatem pios cogere, & innocentiã bonis adimere: cum ipse sit pietatis atq; innocentiæ & largitor, & custos. Qui ergo deo adhæret, spiritu dei agitur: qui autem à deo recedit, propria uoluntate obedire desistit.

SENTENTIA SVPER XIII.

ITEM, qui dicit quod quidam homines nõ ad hoc à deo creati sint, ut uitã adipiscerentur æternam, sed ut habitum tantummodo seculi præsentis ornarent, & ad utilitatem nascerentur aliorum, Melius loqueretur dicens: quod deus, qui creator est omnium, non frustra etiam eos condat, quos præuidit uitæ æternæ participes non futuros: quia etiam in malis hominibus bonum dei opus est ipsa natura, & laudabilis est in impiorum damna-

tione iustitia. Nõ potest autẽ merito reprehendi qui dicit, quod etiam talium cõditione mũdus ornetur. Et quod hi, qui sibi sua iniquitate nocituri sunt, ad utilitatem nascãtur aliorum. Neq; enim quamlibet innumerabilis multitudo impiorũ indecora est mundo, ut inutilis dei regno: cum etiam per ipsorum ueniat propaginem regeneranda generatio, & in eis tolerãdis ac diligendis, populus dei fiat inlustrior: ducens bonitatem & patientiam ab illo, qui pluit super iustos & iniustos: & Solem suum oriri facit super bonos & malos. Matth. 5.

SENTENTIA SVPER XIIII.

ITEM, qui dicit quod qui Euãgelicæ prædicationi non credunt, ex dei prædestinatione non credant: Et quod deus ita definierit, ut quicunq; nõ credunt, ex ipsius constitutione non credant, non est catholicus. Sicut enim fides, quæ per dilectionem operatur, dei donum est: ita infidelitas constitutio dei non est: quia deus pœnas criminum nouit ordinare, non crimina. Nec consequens est, ut quod non remiserit, ipse commiserit. Prædestinatus itaq; uiuit ex fide sibi donata: non prædestinatus perit infidelitate uoluntaria, non coacta.

SENTENTIA SVPER XV.

ITEM, qui dicit quod idẽ sit præscientia quod prædestinatio,

prædestinatio, In bonis sine dubio operibus nostris, duo ista permiscet. Quæ enim ex dei munere habemus, & quæ præscita dicuntur, non possunt nō esse prædestinata: Et quæ prædestinata appellātur, non possunt non esse præscita. In malis autem operibus nostris, sola præscietia dei intellegēda est. Quia sicut præsciuit & prædestinauit, quæ ipse facit, & ut faceremus dedit: Ita præsciuit tantū, nō etiā prædestinauit, quæ nec ipse fecit, nec ut faceremus exegit.

Expliciunt Responsiones ad Capitula Gallorum.

PRAEFATIO IN RESPONSIONES contra Capitula obiectionum Vincentianarum.

QVIDAM CHRISTIANAE AC fraternæ charitatis obliti, intantum existimationem nostram, quoquomodo student lædere, ut suam se euertere, nocendi cupiditate, non uideant. Contexunt enim, & qualibus possunt sentētijs comprehendunt ineptissimarū quarundā blasphemiarū prodigiosa mendacia: eaq; ostendenda & ingerenda multis publicæ priuatumque circumferunt. Asserētes talia in nostro esse sensu, qualia diabolico continentur indiculo: quæ falso in nos, ad ex-

eitandam inuidiam iactitari, facile & sufficienter subscriptione unius probaremus anathematis, nisi malignitas eorum, qui se grauari putant si de nobis bene sentiatur, ipsam sub scriptionis nostræ breuitatem suspectam esset habitura. Vnde ne huius querelæ inueniretur occasio, necessarium, conueniensq; credidimus, ut siue ad calumniantium animos mitigandos, siue ad eos, quorum auribus tale aliquid insonuit, instruendos, quantum adiuuante domino fieri potuerit, plene lucideq; pandamus, quid de peruersis definitionibus iudicemus. Propositis igitur singillatim sedecim capitulis, sub uno quoq; eorum sensus nostri et fidei, quam contra Pelagianos ex apostolicæ sedis authoritate defendimus, uerba ponemus: ut qui paululum se ad legenda hæc dignati fuerint occupare, euidenter agnoscant, impiarum, profanarumq; opinionum nullum cordibus nostris inhæsisse uestigium: & blasphemias, quas perspexerint nostra professione damnari, in earundem repertoribus censeant debere puniri.

Finis Præfationis.

Incipi

INCIPIVNT CAPITVLA OBIECTIONVM, QVIBVS AD SINGVLA RESPONDETVR.

OBIECTIO PRIMA.

QVod dominus noster Iesus Christus non pro omnium hominũ salute & redemptione sit passus.

RESPONSIO.

CONTRA *uulnus originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta & mortificata natura est, & unde omniũ concupiscentiarũ morbus inoleuit, uerũ, et potẽs, ac singulare remediũ est mors filij dei domini nostri Iesu Christi: qui liber à mortis debito, et solus absq; peccato, pro peccatoribus & debitoribus mortuus est. Quod ergo ad magnitudinem & potentiã precij, & quod ad unã pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mũdi. Sed q hoc seculũ sine fide Christi, et sine regenerationis sacramẽto ptrãsẽũt, redẽptionis alieni sunt.*

Cum

Cum itaq; propter unam omnium naturam, & unã omnium causam à domino nostro in ueritate susceptàm, recte omnes dicantur redempti, & tamen nõ omnes à captiuitate sint eruti, redemptionis proprietas haud dubie penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras, & iam non uasa diaboli, sed membra sunt Christi. Cuius mors non ita impensa est humano generi, ut ad redemptionem eius, etiam qui regenerandi non erant, pertinerent: sed ita, ut quod per unicum exemplum gestum est pro uniuersis, per singulare sacramentum celebraretur in singulis. Poculum quippe immortalitatis, quod conflictum est de infirmitate nostra & uirtute diuina, habet quidem in se ut omnibus prosit, sed si non bibitur non medetur.

OBIECTIO SECVNDA.

QVod deus nolit omnes saluare, etiam si omnes saluari uelint.

RESPONSIO.

Matth.7. VM VERITAS *dicat: si uos cũ sitis mali, nostis bona data dare filijs uestris, quãto magis pater uester cœlestis dabit bona petentibus se? Qui fieri potest, ut deus, qui etiã illos saluat, de q̃bus dici nõ potest q̃ saluari uelint, nolit*

nolit aliquos ſaluare etiam ſi ſaluari uelint, niſi ali/ quæ cauſæ exiſtant: de quibus, quamuis ſint no is incognoſcibiles, ita tamen bene iudica:, de quo dici nõ poteſt aliter eum quicquã facere debuiſſe, quàm fecerit? Remota ergo hac diſcretione, quam diuina ſcientia intra ſecretum iuſtitiæ ſuæ continet, ſincerriſſime credendum atq; profitendum eſt, deum uelle, ut omnes homines ſalui fiant. Siquidem Apoſtolus, cuius iſta ſententia eſt, ſollicitiſſime præcipit, quod in omnibus eccleſijs piſſime cuſtoditur, ut deo pro omnibus hominibus ſupplicetur: ex qbus quod multi pereunt, pereuntium eſt meritum: quod multi ſaluantur, ſaluantis eſt donum: ut enim reus damnetur, inculpabilis eſt dei iuſtitia: ut autem reus iuſtificetur, incffabilis dei gratia eſt.

OBIECTIO TERTIA.

QVod deus maiorem partem generis humani ad hoc creet, ut illam perdat in æternum.

RESPONSIO.

OMNIVM quidem hominũ deus creator eſt: ſed nemo ab eo ideo creatus eſt ut periret: quia alia eſt cauſa naſcendi, & alia

alia est pereundi. Vt enim nascantur homines, conditoris est beneficium: ut autem pereant, præuaricatoris est meritum. In Adam quippe, in quo omnium hominum præformata natura est, omnes peccauerunt: eademq; sententia, quam ille exæpit, obstricti sunt. Neque ab hoc uinculo, etiam si propriis peccatis careant, resoluuntur, nisi in sacramento mortis & resurrectionis Christi, per spiritum sanctum renascantur. Nimis ergo impius & indoctus est, qui uitium naturæ non discernit ab authore naturæ: à quo prorsus alienum est quicquid in unoquoque damnandum est. Creat enim homines ut sint homines: nec multiplicandis generationum successionibus opificium suum subtrahit, secundum consilium bonæ uoluntatis suæ: reparaturus in multis quod ipse fecit, puniturus in multis quod ipse non fecit. Sicut per inobediẽtiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius hominis obedientiam iusti constituuntur multi.

OBIECTIO IIII.

QVod maior pars generis humani ad hoc creetur à deo, ut non dei, sed diaboli faciat uoluntatem.

Respon-

RESPONSIO.

INSANVM omnino & contra rationem est, dicere uoluntatem dei ex dei uoluntate nõ fieri: & damnatorem diaboli, eiusq; famulorũ, uelle ut diabolo seruiatur. Sed hoc catholicis Pelagiani consequenter se obijcere existimant, qui Adæ peccatum transisse in omnes diffitentur. Quomodo si primã natiuitatem originalis culpa nõ obliget, non sint obnoxij diabolo paruuli: nec indigeant erui de potestate tenebrarum, qui nunquam à suo authore discesserint. Nos autem, qui omnes in Adam perisse profitemur (uenit enim filius quærere & saluare quod perierat) nec dicimus ideo ereari quenquã hominem, ut diaboli faciat uoluntatem, & agnoscimus omnẽ hominẽ non redemptum, diabolo esse captiuũ. Præuaricatio enim hominum, dispositæ à sœculis creationis ordinẽ turbare nõ potuit: et merito creatura peccatrix pœnalem dominationem illius patitur, cui, relicto uero domino, sponte se uendidit. Hæc quippe seruitus non institutio est dei, sed iudicium, quo fraus deceptoris diaboli, facta est decepto & male credulo homini pœna peccati. De qua nemo eruitur nisi per mediatorem dei & hominum hominem Christum Iesum, cuius gratuita gratia & multorum

& multorum malis meritis non tribuitur, et nullorum bonis meritis præuenitur.

OBIECTIO V.

QVod peccatorum noſtrorum autor ſit deus, eo, quod malam faciat uoluntatẽ hominum, plaſmet ſubſtantiam, quę naturali motu non poſſit niſi peccare.

RESPONSIO.

HIVS quoq; obiectionis uanitas de illa procedit ſchola, in qua natura humana inmunis à peccato Adæ, et inlæſa defenditur: ut quia omnes homines prævaricatiõis reos & dãnationi obnoxios naſci, perituroſq;, niſi in Chriſto renaſcantur, aſſerimus, eundẽ uideamur dicere authorem culpæ, quẽ profitemur conditorem eſſe naturæ. Quod nos à ſenſu noſtro penitus abdicamus, qui deum iuſtum, bonũ, ſic humanæ ſubſtantiæ, & interiorum exteriorũq; ſenſuũ nouimus creatorẽ, ut prorſus ab illo ſit quicquid pertinet ad naturam, & prorſus nõ ab illo ſit quicquid contra naturam eſt. Peccatum autem contra naturã eſt: de qua mors & omnia quæ ſunt mortis oriuntur.

tis oriũtur. Quibus malis tunc se homo induit, quando illum fide obedientiaq; priuatum, in suas promissiones diabolus à dei lege traduxit, omnia quæ sibi posteritatis eius germina, per conditionẽ deprauatæ stirpis, obstrinxit. Vnde si qua in Christo noua creatura est, libera sit diabolo, & subijciatur deo, reformata à deformitate sua ad imaginem eius qui creauit eam. Quod nisi fiat, remanet in illo, in quo omnes moriuntur, non habens sortem in eo, in quo omnes uiuificantur. Non igitur cuiusquam peccati author est, sed naturæ creator est. Quæ cum potestatẽ habuerit non delinquendi, sponte deliquit, & deceptori suo propria uoluntate se subdidit. Nec naturali sed captiuo motu uersatur in uitio, donec moriatur peccato & uiuat deo: quod sine gratia dei facere non potest: quia libertatem, quam libertate perdidit, nisi Christo liberante non recipit. Non est enim aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat saluos fieri. Actu. 4.

OBIECTIO VI.

QVod deus tale in hominibus plasmet arbitrium, quale est dæmonum: quod proprio motu nihil aliud

possit uel uelit nisi malum

RESPONSIO.

1. Ioan. 5. TOTVS QVIDEM MVNdus, sicut ait Ioannes apostolus, in maligno positus est: & multorum hominum talis est malitia, qualis & dæmonum. Matth. 3. Qualibus dicebat dominus: Progenies uiperarum, quomodo potestis bona loqui cum sitis mali? & uos de diabolo patre natiestis, & cõcupiscentias patris uestri facere uultis. Sed hoc inter malos homines distat & dæmones, quod hominibus etiam ualde malis super est, si deus misereatur, reconciliatio: dæmonibus autem nulla est in æternum seruata conuersio. Sicut ergo præuaricatoribus angelis nõ deus indidit illam, quæ in ueritate non stetit, uoluntatem: ita nec hominibus hunc affectum, quo diabolum imitarẽtur, inseruit. Mendax enim de proprio loquitur: & liber à mendacio non erit, nisi eum ueritas liberauerit.

OBIECTIO VII.

QVod hæc sit uoluntas dei, ut magna pars Christianorum salua esse nec uelit, nec possit.

Responsio

RESPONSIO.

SI DE HIS hoc dicitur, qui pietatem Christianæ conuersationis & fidei deserentes, in prophanos errores, aut in damnabiles mores irreuocabiliter transierunt, nō dubium est, quod talem uoluntatem habē tes salui esse nolunt: & quam diu salui esse nolunt, salui eße non possunt. Sed nullo modo credendū est huiusmodi homines, in hāc desperationem ex dei uoluntate cecidiße, cum potius alleuet dominus omnes qui corruunt, & erigat omnes elisos. Nemo enim nisi illius gratia erigitur, nemo nisi illius gratia stabilitur. Dei ergo uoluntas est ut in bona uoluntate maneatur: qui et prius quàm deseratur, neminē deserit: & multos desertores sæpe conuertit. Psal. 144

OBIECTIO VIII.

QVod nolit deus ut omnes catholici in fide catholica perseuerēt, sed uelit ut magna ex inde pars apostatet.

RESPONSIO.

NON EST dissimilis blasphemiæ huius impietas, à præcedente sententia: qđ ergo

ad illam, hoc etiam ad istam, quæ in nullo est diuersa, responsum sit.

OBIECTIO IX.

QVod uelit deus, ut magna pars sanctorum, à sanctitatis proposito ruat.

RESPONSIO.

NEC HVIVS DEFINITIONIS insania aliud sonat, quàm gemina obiectio prælocuta est. Vnde mirandū est obijcientem tertio repetisse, quod semel dixisse sufficerat: sed ut res est, numerum criminationis augere uoluit, quia sensum uariare non potuit.

OBIECTIO X.

QVod adulteria, & corruptelæ uirginum sacrarum, ideo contingant, quia illas deus ad hoc prædestinauit ut caderent.

RESPONSIO.

DETESTANDA & abominanda opinio, quæ deū cuiusquam malæ uoluntatis, aut malæ

aut malæ actionis credit authorem: Cuius prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra iustitiam est: uniuersæ enim uiæ domini misericordia & ueritas. Adulteria enim maritatarum, & corruptelas uirginum non instituere nouit sancta diuinitas, sed damnare: nec disponere, sed punire. Quæ mala homines cum admittunt, suis concupiscentijs & cupiditatibus seruiunt: quas ab illa prima uoluntariæ prævaricationis labe traxerunt. Cum autem declinant à malo, & faciunt bonum, à domino gressus hominis diriguntur, & uiam eius uolet. Propter quod dicit Apostolus: Oramus autem ad dominum ut nihil mali faciatis: non ut nos probati appareamus, sed ut uos quod bonum est faciatis. Non ergo casus ruentiũ, nec malignitatẽ iniquorũ, neq; cupiditates peccantiũ prædestinatio dei, aut excitauit, aut suasit, aut impulit. Sed plane prædestinauit iudiciũ suũ, quo uniuiq; retributurus est p ut gessit, siue bonũ, siue malũ. Quod iudicium futurum omnino nõ esset, si homines dei uoluntate peccarent. Erit autẽ manifestißime. Et omnis homo quẽ discretio diuinæ scientiæ in sinistra cõstituerit parte, damnabitur: quia non dei, sed suam executus est uoluntatem. psal.24. psal.36. 2.Cor.13.

OBIECTIO XI.

QVod quando incestant patres filias &

as, & matres filios: uel quando serui dominos occidunt, ideo fiat, quia ita deus prædestinauit ut fieret.

RESPONSIO.

SI DIABVLO OBIICERE-tur quod talium facinorum ipse author, ipse esset incentor, puto quod aliqua ratione exonerare se hac posset inuidia, & alium scelerum patratorem de ipsorum uoluntate uinceret. Quia & si delectatus est furore peccantium, probaret tamen se non intulisse uim criminum. Quae ergo insipientia, quáue dementia definitur ad dei referendum esse consilium, quod nec diabolo in totum ascribi potest, qui in peccantium flagitijs illecebrarum adiutor, non uoluntatum credendus est esse generator. Nihil ergo talium negotiorũ deus prædestinauit ut fieret: nec illam animam nequiter, turpiterq; uicturam, ad hoc ut taliter uiueret, præparauit. Sed talem futuram non ignorauit: & de tali iuste se iudicaturum esse præsciuit. Atq; ita ad prædestinationem eius nihil aliud referri potest, nisi quod aut debitam iustitiæ retributionem, aut ad indebitã pertinet gratiæ largitatem.

Obiectio

OBIECTIO XII.

QVod dei prædestinatione efficiantur de filijs dei, filij diaboli, et de templo sancti spiritus tẽpla dæmonũ, et de mẽbris Christi mẽbra meretricis.

RESPONSIO.

PRAEDESTINATIO *dei, etsi apud nos, dum in præsentis uitæ periculis uersamur, incerta est, apud illum tamen, qui fecit quæ futura sunt, incommutabilis permanet: nec quæ inluminauit, obcæcat: nec quæ ædificauit, destruit: nec quæ plantauit, euellit. Sine pœnitentia enim sunt dona & uocatio dei: et firmũ fundamentũ dei stat, habens signaculum hoc: Cognonit dominus qui sunt eius.* Nullo 2.Tim.2.
igitur modo prædestinatio dei facit, ut aliqui ex filijs dei, filij sint diaboli: aut ex tẽplo sancti spiritus, templa sint dæmonũ: aut ex membris Christi, fiant membra meretricis: sed potius prædestinatio facit, ut ex filijs diaboli fiant filij dei: et ex tẽplo dæmonũ, tẽplũ sit spiritus sancti: & ex membris meretricis, mẽbra sint Christi. Quia ipse alligat fortem, & uasa eius rapit, eruens ea de potestate tenebrarum, & transferens de contumelia in gloriam. Hi autem de quibus 1.Ioan.2

dicitur, ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis; si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscū: uoluntate exierunt, uoluntate cæciderunt. Et quia præsciti sunt casuri, nō sunt prædestinati. Essent autem prædestinati, si essent reuersuri, & in sanctitate ac ueritate mansuri. Ac per hoc prædestinatio dei, multis est causa standi, nemini est causa labendi.

OBIECTIO XIII.

QVod omnes illi fideles & sancti, qui ad æternam mortē prædestinati sunt, quando ad uomitum suum relabuntur, uitio quidē suo hoc facere uidentur: sed ipsius uitij causa est diuina prædestinatio, quæ illis latenter subtrahit bonas uoluntates.

RESPONSIO.

IDEM blasphemiarū spiritus perseuerat, et à præcedentibus mendacijs subsequens impietas nō recedit: quam prorsus uera ratio probat, & incunctanter sana doctrina condēnat. Quia omnibus quidem à fide ad infidelitatem, à sanctitate ad turpitudinem

nem relapsis, & ante finem uitæ nulla emendatione purgatis, nihil aliud quàm mors æterna debetur: sed nefas est deo ascribere causas talium ruinarum. Qui etsi ex æterna scientia præcognitũ habet, quid unius cuiusq; meritis retributurus sit, nemini tamen per hoc quod falli non potest, aut necessitatem, aut uoluntatẽ intulit delinquendi. Si ergo à iustitia & pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, sua concupiscentia trahitur, sua persuasione decipitur. Nihil ibi pater, nihil filius, nihil agit spiritus sanctus: nec tali negotio quicquã diuinæ uoluntatis interuenit: Cuius opere multos sãmus, ne laberentur, retentos: nullos autem ut laberentur inpulsos.

OBIECTIO XIIII.

QVod pars magna illa Christianorum catholicorum fidelium, atq; sanctorũ, quæ ad ruinam et perditionẽ prędestinata est, etiam si petat à deo sanctitatis perseuerantiam, nõ impetrabit: eo quod mutari nõ potest diuina prædestinatio, quę illos præordinauit, prępparauit, præaptauit ut caderent.

RESPONSIO.

AD PRAEVARICATIOnem legis, ad neglectum religionis, ad corruptelam disciplinæ, ad desertionem fidei, ad perpetrationem qualiscunque peccati, nulla omnino est prædestinatio dei. Nec fieri potest, ut per quem à talibus malis surgitur, per eum in talia decidatur. Si ergo in sanctitate uiuitur, si in uirtutem proficitur, si in bonis studijs permanetur, manifestum munus est dei, sine quo nullius boni operis fructus adquiritur. Si autem ab his recedi/tur, & ad uitia atq; peccata transitur, nihil ibi deus malæ tẽptationis immittit: & recessurum non deserit antè, quàm deserat: & facit plerunque ne deserat, aut etiam si discesserit, ut redeat. Quur autẽ illũ retineat, illũ nõ retineat, nec posibile est cõprehendere, nec licitũ uestigare: cũ scire sufficiat, et ab illo esse quod statur, & nõ ab illo esse quod ruitur.

OBIECTIO XV.

QVod omnes illi fideles & sancti, qui ad ęternã mortem prædestinati sunt, posteaquam ceciderint, sicà deo dispensentur, ne possint uel uelint per pœnitentiam liberari,

Responsio.

RESPONSIO.

NON VERACITER, *nec ſapienter hoc dicitur. Qui enim à fide & ſanctitate exciderunt, ſicut uoluntate prolapſi ſunt, ita uoluntate non ſurgunt: & dominatum concupiſcentiarũ, quibus ſuccubuerunt, ſponte patiuntur. Si qui autem captiuitatem ſuam gemunt, & iudicantes ſemetipſos, ad miſericordiam dei, mutato corde, confugiunt, non ſine ſpiritu diuinæ uiſitationis hæc faciũt. Hæc enim mutatio dexteræ excelſi: qui inumeris lapſis dat pœnitentiam ut reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenebantur ad ipſius uoluntatem. Nemini autem deus correctionis adimit uiam, nec quenquam boni poßibilitate diſpoliat. Quia qui ſe à deo auertit, ipſe & uelle quod bonũ eſt, et poſſe ſibi ſuſtulit. Non eſt ergo cõſequens, ſicut putant qui talia obijciunt, ut deus, quibus pœnitentiam non dederit, reſipiſcentiam abſtulerit: & quos non leuarit, alliſcerit: cũ aliud ſit inſontẽ in crimẽ egiſſe, quod alienum eſt à deo: aliud criminoſo ueniam non dediſſe, quod de peccatoris eſt merito.*

OBIECTIO XVI.

QVod magna pars illa fidelium atq; ſanctorum, quæ ad ęternã mortem

mortem prædestinata est, quando dicit deo in oratione dominica: fiat uoluntas tua: nihil aliud, quàm contra se petat: id est, ut cadant & ruant: quia uoluntas dei hæc est, ut æterna morte pereant.

RESPONSIO.

ON HOC *ueritas dicit, quod hæc sit uoluntas dei, ut fideles & sancti à fide atq; innocentia ruant & pereãt in æternum, sed ueritas dicit:* Hæc est uoluntas eius, qui me misit, patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo quicquam, sed resuscitem illud in nouissimo die. Ioan. 6. *Quod ergo pater filio dedit, filius omnino nõ perdit. Idem enim dicit:* Omne quod dat mihi pater, uenit ad me, & non eijciam foras. Ioan. 6. *Quod si per generalitatem uocationis, & per abundantiam bonitatis dei etiam nõ perseueraturi, perseueraturis admixti sunt, hi cum à pietate deficiunt, non ex dei opere, sed ex sua uoluntate deficiũt: nec impelluntur ut cadant, nec eijciuntur ut desciscant: casuri tamen & recessuri ab eo qui falli nõ potest præsciuntur. Quàm diu itaq; in oratione dominica dicunt: fiat uoluntas tua:* Non hoc contra se petunt,

tunt,quod deus nullo modo ulla ratiõe facturus est, id est,ut cadãt et ruãt. Hoc enim ipsorum nequitia, ipsorum est consummatura libertas. Sed plane illud contra se petunt,quod diuinæ uoluntatis esse non dubium est: ut scilicet,cum uenerit filius hominis in maiestate sua,& sederit super thronum gloriæ suæ,congregẽtur ante eum omnes gentes,& separet eos abinuicem,alios ad dextram,alios statuẽs ad siniſtrã: & audiant eum dextri dicentẽ: Venite benedicti patris mei, poßidete regnum paratum uobis à cõstitutione mundi. Audiant & siniſtri: Discedite à me maledicti in ignem æternum,quem parauit pater meus diabolo & angelis eius. Igitur qui facturi non sunt uoluntatem dei, & petunt ut fiat uoluntas dei, in eo quod dei uoluntate faciendũ est,audiũtur,ut imitatores diaboli cum diabolo iudicentur. Qui enim uoluntatem dei spreuerunt inuitantem,uoluntatem dei sentient uindicantem. Mat.15.

Finitæ Respõsiones ad capitula obiectionum Vincentianarum.

Incipiunt

INCIPIUNT RESPONSIONES AD EXCERPTA, QVAE DE GENVENSI CIVITATE SUNT MISSA.

CAMILLO ET THEODOLO VENERABILIBVS PRESBITERIS, PROSPER.

IN LIBRIS BEATAE MEmoriæ Augustini Episcopi, quorum titulus est de prædestinatione sanctorũ, quædã sanctitatẽ uestrã uel insolita, aut minus clara, mouerunt, quæ ad humilitatem meã, de cõtextu disputationis excerpta, misistis: ut quo ĩtellectu, uel quo iudicio ea acceperim, noscere tis, quasi plus in me, quàm in uobis ad hæc introspiãenda esset ĩgenij: ac nõ magis in hoc examine uestræ facultatis debueritis exercere mẽsuram. Et si aliqua uos mòrabatur obscuritas, decurrere ad patrẽ luminum, à quo descendit omne datum optimũ, et omne donum perfectum, & à quo datur spiritus sapientiæ & intellectus. Veruntamen præceptis uestris obsequium meum non subtraham, & adiuuante domino,

mino, qui ſapientiam præſtat paruulis, de capitulis iſtis, quid cum ſanctis et eruditis fratribus ſentiam, breuiter indicabo. Petens, ne, ubi eſt ſimplicitas obedientiæ, præſumptionẽ eſſe putetis doctrinæ. De excerptis itaque hæc prima propoſuiſtis: in quibus uerba ſunt Sancti Auguſtini Epiſcopi.

IACOB dilexi, Eſau odio habui. Adhoc perduxi ratiocinationem, ut dicerem: Non ergo ſeligit deus opera cuiuſquam quæ ipſe daturus ſit, ſed fidem elegit in præſcientia. Vt quem ſibi creditur̃u eſſe præſciret, ipſum elegerit, cui ſanctum ſpiritum daret: ut bona operando etiam uitam æternam conſequeretur. Nondum diligentius quæſieram, nec adhuc inueneram qualis eſſet electio gratiæ. Dubiũ. I. Rom. 9.

DVBIVM II. In uerbis eiuſdem.

AC DEINDE ſubiunxi: Quod ergo credimus, noſtrũ eſt: quod autem bona operamur, illius eſt, qui credentibus dat ſpiritum ſanctũ. Profecto non dicerem, ſi iam ſcirem etiam ipſam fidem inter dei munera reperiri quæ datur in eodem ſpiritu: utrunq; noſtrum eſt propter arbitrium uoluntatis: utrunq; tantum datum eſt propter ſpiritũ fidei & charitatis.

DVBIVM III. In uerbis eiuſdem.

AC PER hoc quod etiam poſtea dixi: quia neq;

neq; uelle poßumus niſi uocemur: et cũ poſt uocatio nem uoluerimus, nõ ſuffiat uolũtas noſtra, et curſus noſter, niſi et deus uires credẽtibus præbeat, et ducat quo uocat. Ac deinde ſubiunxit: Manifeſtũ eſt ergo nõ uolẽtis neq; currẽtis, ſed miſerẽtis dei eſſe quod bene operemur. Omnino uerißimum eſt, ſed parum de ipſa uocatione diſſerui, quæ ſit ſecundum propoſitum dei. Non enim omnium qui uocantur talis eſt, ſed tantum electorum.

RESPONSIO AD HAEC TRIA.

IN HIS TRIBVS CAPITVlis, licet diuiſa ſint à diſputatione corpora, & eo ipſo obſcuriora ſint facta, quod & præcedentibus, & medijs, & ſubſequentibus non cohærent: intellego tamen quod unam atq; eandem cauſam ſcriptor exequitur: de eis loquẽs, qui dicebant eum primo conuerſionis ſuæ tempore meliora ſenſiſſe, quãdo æſtimabat quod fides, qua Chriſtiani ſumus, non eſſet ex gratia, nec ex dono haberetur dei, ſed eſſet ex ipſo homine, & ex arbitrij libertate. Modo autem errare cum, quia aſſereret ipſam etiã fidẽ, dei eſſe donũ: et ad hanc quo-
1. Cori. 7. que pertinere quod dictum eſt: Quid autem habes quod non acæpiſti? Neq; recte eum nunc electionem Iacob ad propoſitũ dei referre, quam prius ad præſcientiam

ſcientiam retuliſſet. Ad hãc ergo obiectionẽ reſpon/det, ſe, ante quàm cognoſceret gratiæ ueritatem, & ante quàm regendæ præponeretur eccleſiæ, in hac opinione ignoranter erraſſe: ſed in ipſo epiſcopatus ſui exordio, ſanctæ memoriæ Simpliciano Mediolanẽ ſi antiſtite, de Iacob electione & de Eſau reiectione conſulto, totam quæſtionem ad hos geminos pertinẽ/tem, ſagaciore diligentia uentilaſſe: & omnibus ratio cinandi uiribus hoc indubitanter agnouiſſe, quod e/lectionem gratiæ nulla merita humana præcedant: & quod fides, unde incipiunt omnia merita, donum ſit dei: Ne gratia non ſit gratia, ſi aliquid eam, pro/pter quod tribuatur, antecenit. Itaq; in eo quod dictũ eſt, Iacob dilexi, oſtenſum eſſe quid homini donare/tur: & in eo quod dictum eſt: Eſau autem odio ha/bui, oſtenſum eſſe quod homini debetur. Hoc autem ſe in libro retractationum ſecundo ſuo opere ſtudio/ſe recoluiſſe. Et cum omnes opiniones ſuas cenſo-ria grauitate diſcuteret, iſtam, quam obtrectatores eius eligunt, improbaſſe, quam ante Pelagianæ hæreſis ortum futuro errori amicam eſſe præuidit, & re/uelata ſibi gratiæ ueritate reiecit. Quæ igitur ratio eſt, ut hanc uiri huius profeſſionem non approbe-mus, qua nos ad caſtigandas opiniones noſtras, ſi quas forte imprudenter incidimus, exemplo ſuæ cor-rectionis inſtituit: & qua docet à deo nos accipere,

quod ut accipiamus iubemur orare. Si enim conſide/remus pelagianæ argumenta perfidiæ, quid magis ni titur obtinere, quàm ut uideatur gratia dei ſecundum merita noſtra dari? ut in eo ipſo, in quo gratiam ne/ceſſariam confitetur, meritis eam humanæ uolun/tatis eneruet. Quam peruerſitatem omnino incur/rit, qui fidem ad dei munera non putat pertinere. Aut ideo eam ſe iactitat ad deum referre, quia ab ip/ſo ſit creata natura, cui rationabilē inſeruit liber/tem, per quam unuſquiſque & credere & non crede/re in ſua habeat poteſtate. Et de hoc naturali bono qui nullis præcedentibus meritis cum crearetur acce/pit, cætera dona mereatur. Hoc autem qui aſſerit, fatetur, credo, nobiſcum, quod in primo Adam omni/um hominum natura uitiata ſit: nec negat eam in il/lo lapſu, ſuas amiſiſſe uirtutes, quas niſi per gra/tiam recipiat, habere nō poſſit. Quid eſt autem quod eidem naturæ, ſolam fidem nō uult eſſe præreptam, quam niſi primam amiſiſſet, cæteris bonis omnibus non careret? Credendo enim Adam diabolo, non cre/didit deo: & cum ſpiritu ſuperbiæ inebriatus eſſet, diſceſſit à domino cor eius: & factus eſt ſeruus apo/ſtatæ, dum liber uult eſſe iuſtitiæ. Cum itaque non haberemus continentiam niſi deus daret, nec habe/remus dilectionem ſanctā, niſi charitas dei diffunde/retur

retur in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis: cum postremo nemo haberet sapientiam & intellectum, consilium & fortitudinem, scientiam & pietatem ac timorem domini, nisi has uirtutes spiritus sanctus daret, quomodo fides in Adam perdita, in quoquam filiorum eius inueniretur, nisi eam idem spiritus qui omnia in omnibus operatur, infunderet. Vnde si quod Adam perdidit, posteritas non amisit, ipsum solum læsit peccatum eius, & non genus humanum. Sed omnes in uno peccauerunt, & præuaricationis merito, tota eius propago damnata est. Omnes igitur quod Adam perdidit, perdiderunt. Perdidit autem primitus fidem, quam omnes, quia primam potuimus amittere, primam habemus acapere. Placeat ergo nobis hæc gratiæ prædicatio, qua fides donum dei esse defenditur, & in nullo nobis potuerit Pelagianus error inludere: qui, ut gratiam persuadeat debitam, fidem non uult esse donatam. Quia ergo nec iusta, nec rationabilis intelligitur eorum fuisse persuasio, qui huius uiri scientiam tot incrementorum profectibus ædificatam, tot annorum studijs expolitam, ad adolescentiæ rudimenta reuocabant, ut magis suffragaretur hæreticis, quod inter initia conuersionis suæ imperite senserat, quàm prodesset catholicis, qd ponti

ficali diligentiæ ueritas reuelarat. Merito illos hoc præiudicio utentes, & in his, quæ dudum abdicata fuerant, immorantes, pij doctoris grauitas notat: Quod qui curauerunt omnes sensus ipsius indagare, noluerint cum eius eruditione proficere. Sed iam consideremus quale sit quod de subsequentibus adnotastis.

DVBIVM QVARTVM.

NON QVIA CREDERE VEL non credere, nõ est in arbitrio uoluntatis humanæ, sed in electis præparatur uolũtas à domino.

RESPONSIO.

IVNGAMVS QVOD SEquitur, ut quod propositum est, de connexo sermone sit clarius: ideo ad ipsam quoque fidẽ pertinet. Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti? Multi audiunt uerbum ueritatis, sed alij credunt, alij contradicunt. Volunt ergo isti crédere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cum alijs præparetur, alijs non præparetur uoluntas à domino, discutiendum est utique, quid ueniat de misericordia, quid de iudicio. Quod quærebat Israel, hoc-

1. Cor. 4.

bel, hoc non est consecutus: electio autem consecuta Roma.11.
est, ceteri uero excæcati sunt, sicut scriptum est: De Esa.6.
dit illis spiritum compunctionis, oculos ut non uideant, & aures ut non audiant usque in hodiernum diem. Et Dauid dixit: Fiat mensa eorum in laqueum, Psal.68
& in uenationem & in scandalum & in retributionem illis: Obscurentur oculi eorum ne uideant, & dorsum eorum semper incurua. Ecce misericordiam & iudicium: misericordia in electione, quæ consecuta est iustitiam dei: iudicium uero in cæteros, qui excæcati sunt: & tamen illi quia uoluerunt crediderũt: illi quia noluerunt non crediderunt. Misericordia igitur & iudicium, in ipsis uoluntatibus facta sunt: electio quippe istis gratiæ est, non utique meritorum. Superius enim dixerat: Sic enim & in hoc tempore Rom.11.
reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia, iam non est gratia. Gratis ergo consecuta est quod consecuta est electio. Non præcessit eorum aliquid quod priores darent & retribueretur illis. Pro nihilo saluos fecit eos. Cæteri autem qui excæcati sunt, sicut ibi non taãtum est, in retributione factum est, uniuersæ uiæ domini misericordia & ueritas. Inue- Psal.24.
stigabiles autem sunt uiæ ipsius. Inuestigabilis igi- Roma.11.
tur misericordia qua gratis liberat, & ueritas qua

iuſte iudicat. Hæc omnia apud pium catholicum'que lectorem, quid offenſionis pariunt? quid contradicti onis incurrunt? Nunquid falſum eſt, quod præparatur uoluntas à domino? Nunquid non quotquot ſpiritu dei aguntur, hi filij dei? Nunquid hominem ab/ homine natura diſcernit, ac non potius gratia ab in fideli fidelem? Nunquid poteſt ullus dicere habere ſe, quod non accepit? aut quaſi de non acepto, ſed proprio gloriari? quod ſi non accepiſſet, utique non haberet. Nunquid dubium eſt, cum uerbum ueritatis prædicatur, alios noluntate credere, alios uoluntate non credere? Sed cum illorum cor deus aperuerit, illorum autem non aperuerit, diſcernendum eſt quid ueniat de miſericordia, quid de iudicio. Poſt commemorationem autem apoſtolicæ ſententiæ, quam prophetias teſtimonijs aſtruit, quod iuſtitiam dei, quam Iſrael quærens conſecutus non eſt, electio ſit conſecuta per gratiam, cæteris ex retributione cæcatis, nunquid non ueriſſime dictum eſt: ecce miſericordia & iudicium? miſericordia in electione, quæ cõſecuta eſt juſticiam dei: iudicium uero in cæteris, qui excæcati ſunt. Et paulô poſt. Gratis ergo conſecuta eſt, quod conſecuta eſt electio. Non præceſſit aliquid eorum quod priores darent, & retribueretur illis: pro nihilo ſaluos fecit eos. Cæteris autem qui excæcati ſunt, ſicut ibi non tacitum eſt, in retributione factum eſt.

Roma. 8.

Roma. 11.

Quis

Quis hic locus querimoniæ, niſi apud inimicos gratiæ: qui, niſi ad retributionem referatur quod gratis datur, ad iniquitatem uolunt pertinere quod redditur. Deinde quod de Propheticis intulit uerbis: Vniuerſæ uiæ domini miſericordia & ueritas: quis negauit? Aut quod de apoſtolico adnexuit cenſu: Inueſtigabiles ſunt autem uiæ ipſius? Inueſtigabiles igitur ſunt, & miſericordia qua gratis liberat, & ueritas qua iuſte iudicat. Non eſt ergo ſanarum mentium iſta reprehendere: & inueſtigabiles uias domini, hoc eſt, dona miſericordiæ & iudicia ueritatis, Pelagianorum elationi penetrabilia deputare. Quia ſecundum ipſos non latet conſilium dei, nec in occulto eſt diuinæ ratio uoluntatis, ſi erga omnem hominem tam gratia dei, quàm & ira merito eſt.

Pſal. 24. Rom. 11.

DVBIVM V.

POST HAEC poſuiſtis quod infra dictum eſt: Fides igitur & inchoata, et perfecta, donum dei eſt: & hoc donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari, non dubitet, qui nõ uult manifeſtiſſimis ſacris literis repugnare.

RESPONSIO.

HOC QVI NON RECIPIT, cuius uidetur eſſe ſententiæ, niſi dicentis: fi-

des per quam iustificor, ex me est: & hoc bonum, ex quo iustus uiuit, non accepi per gratiam, sed habeo per naturam? Si ergo fides donum dei non est, frustra & de sua pro non credentibus orat ut credant, & sufficit impijs magisterium legis ad/
Gala.2. hiberi: de qua dictum est: Si ex lege est iustitia, ergo Christus gratis mortuus est: quod similiter dici po/test etiam de natura. Frustra etiam Apostolus gra-
1.Thes. 2 tias agit deo pro his, qui Euangelium receperunt; cum hoc secundum Pelagianos nõ dei sit præstitum munere, sed ex sola habeatur hominum uoluntate.
Roma.1. Et frustra quibusdam precatur idem Apostolus, ut
1.Cor.13. sit eis pax & charitas cum fide à deo patre & do-
Roma.3. mino Iesu Christo: ut iam non solum de fide, sed etiam pace & charitate, superbia hæreticorum con/uincatur dicere de proprio se has habere uirtutes. Quod si hæc ex homine sunt, quid obest, ut non ex semetipso habeat & cætera bona quæ inferiora sunt, cum audeat sibi deputare quæ summa sunt, & sine quibus alia, quamuis multa & clara, non prosunt. Non potest itaque merito refutari quod dictum est: Fides igitur & inchoata & perfecta, donũ dei est:
Ephe. 2. quia eadem & Apostoli uox est, dicẽtis: Gratia sal/ui facti estis per fidẽ, & hoc non ex uobis: dei enim donum est, non ex operibus: ne forte quis extollatur.
Philip.1. Et, uobis donatum est pro Christo, non solum ut in

cum

cum credatis, sed etiam ut patiamini pro eo. Et iterum: Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei & consummatorem Iesum. Quibus, & plurimis alijs testimonijs diuinarum scripturarum, indubitanter agnoscitur, quoniam sicut ab hoc uiro definitum est, fides & inchoata & perfecta donum est dei: & hoc donum, inquit, quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitat, qui non uult manifestißimis sacris literis repugnare. Non putemus hoc ueraciter dictũ, si omnes homines fideles sunt: sed cum alij credant, alij uero non credant, dicatq; Apostolus: Non enim omnium est fides; quis non uideat fidem, quã acceperunt q̃ habẽt, nõ acœpisse qui nõ habẽt? Hebr. 12. 2. Thes. 3

DVBIVM VI.

DEINDE ait: Cur autem non omnibus detur, fidelem mouere non debet, qui credit ex uno omnes esse in condemnationem sine dubitatione iustißimam: ita ut nulla esset dei iusta reprehensio, etiam si nullus inde liberaretur. Vnde cõstat magnam esse gratiã quod plurimi liberantur: & quid sibi deberetur, in eis qui non liberantur, agnoscunt: ut qui gloriatur, non in suis meritis, quæ paria uidet esse damnatis, sed in domino glorietur. Cur autem istum potius quàm istum liberet, inscrutabilia sunt Respon.

iudicia eius, & inuestigabiles uiæ ipsius. Melius enim
Rom. 9. et hic audiemus: O homo, tu quis es qui respondeas deo? quàm dicere audeamus, quasi nouerimus quod occultum esse uoluit, qui tamen aliquid iniustum uelle non potuit. Hæc omnia si non recte dicta sunt, scrutabilia sunt iudicia dei, et uestigabiles uiæ eius. Nec occultum est, quare ille potius quàm iste saluatur, & in se non in domino gloriabitur, qui, alijs uitio suo pereuntibus, electione dignus inuentus est. Ac sic iustitia quidem erit quod plurimi damnãtur: sed non erit gratia quod plurimi liberantur. Absit hæc à catholicis cordibus, absit talis impietas, ut quenquam putemus meritis suis erui de potestate tenebrarum, & in regnum filij dei debita non gratuita adoptione trãsferri. Magno peccato perijt Adam, & in illo omnes pericrunt. Quia omni homini damnata natiuitate genito, hoc in Adam debetur ut pereat. Et sicut non possumus conqueri de eo, quod in præteritis seculis dimisit omnes gentes ingredi uias suas, ita iustam non haberemus quærelam, si cum eis, cum quibus nobis fuit causa communis, cessante adhuc gratia, periremus. Quæ tamen sicut tunc de omni mundo eruit paucos, ita nunc de uniuerso genere hominum saluat innumeros: non
2. Tim. 1. secundum opera nostra, sed secundum suum propositum, & gratiam quæ data est nobis in Christo

Iesu

Ieſu ante tempora æterna.

DVBIVM VII.

SVBNEXVISTIS etiam, quod poſt multa diſſerens ait: eſt ergo in malorum poteſtate peccare: Vt autem peccando hoc uel hoc illa malitia faciat, non eſt in eorum poteſtate, ſed dei, diuidentis tenebras, & ordinantis eas: ut hinc etiam quod faciunt contra uoluntatem dei, non impleatur niſi uoluntas dei.

RESPONSIO.

QVOD CVM ſit apertiſſimæ ueritatis, miror inter obſcura decerptum: quaſi non ex cohærentibus potuerit omnis hæſitatio lectoris abſolui. Inſpicite ergo quod ſequitur: Legimus, inquit, in Actibus Apoſtolorum, quod cum dimiſſi à Iudæis Apoſtoli ueniſſent ad ſuos, & indicaſſent quanta eis ſacerdotes & ſeniores fecerunt, leuauerunt illi uocem unanimes omnes ad dominum, & dixerunt: Domine tu es qui feciſti cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt, qui per os patris noſtri Dauid ſancti pueri tui dixiſti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania. Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum Act. 4. Pſal. 2.

in unum, aduersus dominum, & aduersus Christũ eius. Conuenerunt enim in ueritate, in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum quem unxisti, Herodes & Pilatus & populus Israël, facere, quanta manus tua & cõsilium prædestinauit fieri. Si ergo quæ per os patris nostri Dauid spiritus sanctus prophetauit, aliter intelligi ullo modo, quàm ab Apostolis sunt intellecta, non possunt, & Herodes ac Pilatus & populus Israël fecerunt quanta manus dei & consilium prædestinauit fieri, quid inconueniens ait admirabilis disputator? est, inquiens, in malorum potestate peccare: ut autem peccando hoc uel hoc illa malitia faciat, non est in eorum potestate, sed dei diuidentis tenebras & ordinantis eas: ut hinc etiam quod faciunt contra uoluntatem dei, non impleatur nisi uoluntas dei. Male enim uelle facillimum est malis: & eorum damnabilem uoluntatem non dubium est à dei potestate concludi, ut effectum cupiditatis suæ, nisi ille permiserit, habere non possint. Vti autem sapientiam & iustitiam dei etiã malorum operibus, quæ ex ipsorum prodeunt appetitu, ad implenda cõsilia & iudicia sua, nullus, uel tenuiter secundum pietatem doctus, ignorat: qui uidet dei patris optimam uolũtatem, non parcentis filio suo, sed pro nobis omnibus tradentis eum, pessima traditorum Iudæ & Iudæorum uoluntate completam: Et

qui

qui in Euangelicis paginis legit, dicente Pilato ad Ieſum: Mihi non loqueris? neſcis quia poteſtatē habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittendi te? reſpondiſſe dominum: non haberes in me poteſtatem ullam, niſi eſſet tibi data deſuper. Diuidit itaq; deus inter lucem & tenebras: nec idco inalpabiles ſunt tenebræ, quia eis bene utitur deus, qui etiam de opere ipſorum, quod filijs lucis in bonum proœderet, ordinauit: tantum progredi ſinens maliciā noœre cupientium, quantū eam ſanctis ſuis uel caſtigandis nouit utilem uel probandis: ut hinc etiam quod faciunt contra uoluntatem dei, non impleatur niſi uoluntas dei. Ioan. 19.

DVBIVM VIII.

SEQVITVR deinceps quod in libro inuenitur ſecundo: an quiſquam dicere audebit, deū non præſciſſe quibus eſſet daturus ut crederent, aut quos daturus eſſet filio ſuo, ut ex eis non perderet quenquam? Quæ utiq; ſi præſciuit, profecto beneficia ſua, qbus nos dignatur liberare, præſciuit. Hæc eſt prædeſtinatio ſanctorum, nihil aliud, præſciētia ſālicet, & præparatio beneficiorum dei, quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur. Cæteri aūt ubi, niſi in maſſa perditionis iuſto diuino iudicio relinquuntur, ubi Tyrij relicti ſunt & Sidonij, qui etiam

etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa ui dissent. Sed quomodo ut crederent nõ eis erat datũ, etiam unde crederent est negatum.

RESPONSIO.

QVI ISTIS RESISTVNT, hoc sentire apertißime probantur, quod fides non sit donum dei, & quod gratia nos præueniat liberum arbitrium sed sequatur, & quod gratia dei secundum merita nostra detur. Nam si aliquid conferri homini per gratiam confitentur, & id non accipit nisi fides, quæ accepta non est, in ipsa est meritum, cui non donum datur, sed debitum redditur. In hac sententia positi, consequenter sapiunt, eos esse prædestinatos in uitam æternam, quos per liberæ uoluntatis arbitrium fideles futuros præscierit deus, ut ipsa electorum prædestinatio non sit nisi retributio. Atque ita in his, qui prædestinati sunt secundum propositum eius qui uniuersa operatur, non operetur deus fidem: nec ulla sint hominis merita, si deus operatur uniuersa. Vere qui ista sentiunt, fidem non acceperunt: aut quam acceperant perdiderunt, sequendo uanißimam Pelagianorum superbiam, & in se & in domino gloriando, qui operatur omnia in omnibus, bona profecto non mala. Et si omnia bona, utique & fidem,

dem, sine qua nemo potest placere: & quæ est uir=
tutum omnium fundamentum. Quale est autem, 1.Cori.3.
ut, cum dei sit ædificatio, Et, nisi dominus ædifica/ Psal.126.
uerit domum, inuanum laborant qui ædificãt eam,
aut nolint isti fundamentum ad ædificium perti=
nere, aut se uelint inchoare quod dominus pos=
sit extruere? Non erit ergo illis principium filius
dei, non fundabuntur in ipso angulari lapide Chri/
sto Iesu: nec de eis dictum est: Firmum autem fun= 2.Tim.2
damentum dei stat: quia totam electionem suam
solubili harenæ & sucãduo cineri superponunt.
Agnoscamus itaque sapienter, piéque fateamur,
præscisse incommutabiliter deum, quibus esset da=
turus ut crederent: aut quos daturus esset filio suo,
ut ex eis non perderet quenquam. Et si hæc præsci=
uit, beneficia sua illum, quibus nos dignatur li=
berare, præscisse. Et hanc esse prædestinationem
sanctorum: prædestinationem scilicet & præpara/
tionem gratiæ dei qua certißime liberantur. Cæte=
ros autem quicunque non liberantur, quos à gene/
rali perditione humani generis gratia non exemit,
iusto nouerimus iudicio non exemptos: & quid no/
bis remissum sit in eis discamus, de quorum queri
damnatione non possumus. Non est enim iniquitas 2.Pa.19.
apud deũ, nec q̃ quisq̃ sub iudicio eius innocẽs perit.
Sicut enim hic ipse insignis gratiæ prædicator alibi
ait:

ait: Reddit omnino deus & mala pro malis, quomodo iustus est: et bona pro malis, quomodo bonus est: & bona pro bonis, quomodo iustus & bonus est: tantummodo mala pro bonis nō reddit, quomodo iniustus non est. Reddit ergo mala pro malis, pœnā pro iustitia: & reddit bona pro malis, gratiam pro iniustitia: & reddit bona pro bonis, gratiam pro gratia: cum alij qui pereunt, non dubitemus ipsorum meritis deputari quod pereunt: quos utiq; posset deus misericorditer liberare si uellet. Et cum alij qui liberantur, non audeamus definire quod digni fuerint liberari: quos utiq; posset deus iuste damnare si uellet. Quare autē non omnes, aut quare illos potius quàm illos liberet, nec necessarium est quærere, nec possibile repperire: cū omissis discretionis istius causis sāre sufficiat, quod nec misericordia iustitiam, nec iustitia auferat misericordiam apud eum, à quo nemo nisi iuste damnatur, nemo nisi misericorditer liberatur. De Tyrijs uero & Sidonijs quid aliud possumus dicere, quàm non esse eis datum ut crederent, quos etiam credituros fuisse, ipsa ueritas dicit, si talia, qualia apud non credentes facta sunt, uirtutum signa uidissent. Quare autem hoc eis negatum fuerit, dicant, si possunt, qui calumniantur: & ostendant cur apud eos dominus mirabilia, quibus profutura non erant, fecerit. Nos etiam si rationem facti,

Matt. 11. Luce. 10.

& profun-

& profunditatem iudicij eius penetrare non possumus, manifestissime tamē scimus, & uerū esse quod dixit, & iustum esse quod fecit. Et non solum Tyrios & Sidonios, sed etiam Corazin & Bethasaida potuisse conuerti, & fideles ex infidelibus fieri, si hoc in eis dominus uoluisset operari. Neq; enim ulli falsum uideri potest quod ueritas ait: Nemo potest uenire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo: Et, uobis datū est nosse mysteriū regni cœlorū, illis autem nō est datum: Et, nemo nouit filiū nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare: Et, sicut pater uiuificat mortuos, ita & filius quos uult uiuificat: & nemo potest dicere dominū Iesum nisi in spiritu sancto. His diuinarū uocum authoritatibus eruditi, gratias agamus deo, qui dedit nobis spiritū fidei & uirtutis, continētiæ et charitatis, sapientiæ & intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis ac timoris sui. Quæ bona si non dedisset nobis qui omnia operatur in omnibus, prorsus nō haberemus in nobis: & cum his, qui nō cognouerūt dominū, aut cum cognouissent, nō sicut deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed hoc ipsum suæ sapientiæ deputantes, stulti facti et obscurato corde euanuerunt in cogitationibus suis: Cum his, inquam, sederemus in tenebris & in umbra mortis, nec querelam habentes de pœna, nec excusationem de ignorantia, nec

Ioan. 6.
Luc. 8.
Matth. 11.
Luc. 10.
Ioan. 5.
1. Cor. 12.

tia, nec præsidium de natura.

DVBIVM IX.

NVNC iam quod sequitur, quale sit uideamus. Sed aiunt, ut scribitis, neminẽ posse correptionis stimulis exitari, si dicatur in cõuentu ecclesiæ audiẽtibus multis. Ita se habet de prædestinatione definita scientia uoluntatis dei, ut alij ex uobis acceptu obediendi uoluntate ueneritis ad fidem, uel acceptu perseuerantia permaneatis in fide. Cæteri uero, qui in peccatorũ delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia necdum uos adiutoriũ gratiæ misericordiæ erexit. Verũ tamẽ si qui estis nondũ uocati, quos gratia sua prædestinauerit eligẽdos, accipietis eandẽ gratiã qua uelitis & sitis electi. Et si qui obeditis, si prædestinati estis reijciendi, subtrahentur obedientiæ uires, ut obediri ceßetis.

RESPONSIO.

STVPEO sanctitatem uestram obiectionem calumniantiũ, à persona defensoris gratiæ non potuisse discernere, & uerba obtrectantiũ ei ipsi, qui obtrectatoribus suis respõdet, aptaße. Hæc enim de doctrina catholici uiri quidã nequiter & nugatorie iactitãbãt, quod qui talẽ dei gratiã prædicaret, ut fides & obedientia, cæteræq; uirtutes, & in eis usq; in finem perseuerãtia, nõ nisi ex dono dei habere poße credãtur, con-

tur, consequens esse ut talibus uerbis uteretur ad populũ, & huiusmodi denuntiationibus omnẽ liberi arbitrij euitaret industriã. Quod quia piissimus doctor literis eorũ, ad quos scribit, agnouerat, ideo ait: Sed aiunt, ut scribitis: & postea: Ista cũ dicunt. Ex hoc ergo potuistis aduertere nõ ipsum hæc dicere, sed eos, de quibus dixit: sed aiũt, ut scribitis, et, Ista cũ dicũt. Quod similiter Apostolus ait: Sicut aiũt nos quidã dicere, faciamus mala ut ueniãt bona. Inferius autẽ ubi plenius ad ista respondet, multo manifestius patet, quàm hæc ab ipso nunquã taliter dicta sint, et quantũ ei huiusmodi prædicationis forma displiceat. Quã corrgẽs et mũdans atq; emẽdans, tolerabiliorẽ audientibus facit: quæ uera sunt tẽperans, quæ falsa sunt resecãs, et post multa adijciẽs. Iã uero qđ illis uerbis cõnectitur, miror si ullo modo potest in populo Christiano quisq; infirmus patiẽter audire, cũ dicitur eis: et si q obeditis, si prædestinati estis reijciẽdi, subtrahuntur obediẽtiæ uires ut obedire cessetis. Hoc enim dicere quid uidetur aliud esse, quàm male dicere, aut mala quodã modo pphetare? Et post hæc cũ diceret qualiter de his loquendũ esset in populo, proprij sensus uerba cõnexuit dicens: Illũ etiã modũ, quo utẽdum esse in prædestinationis prædicatione nos diximus, loquendi ad populũ, nõ existimo debere sufficere, nisi hoc, uel aliquid huiusmodi addat, ut dicat: Rom. 3.

Iaco.1. Vos itaque etiam ipſam obediendi perſeuerantiã à patre luminum, à quo deſcendit omne datũ optimũ, & omne donũ perfectum, ſperare debetis et cotidianis orationibus poſcere: atq; hoc faciendo cõfidere, non uos eſſe à prædeſtinatione populi eius alienos: quia etiam hoc ut faciatis ipſe largitur. Abſit autẽ à uobis ideo deſperare de uobis: quoniã ſpem ueſtrã in ipſo habere iubemini, non in uobis. Maledictus enim omnis qui ſpem habet in homine: & bonũ eſt confidere in domino: quã beati omnes qui confidunt in eum, Hãc ſpem tenẽtes, Seruite domino in timore, et exultate ei cũ tremore, quoniã de uita æterna, quã ſi lijs promiſſionis promiſit, nõ mendax deus ante tempora æterna. Nemo poteſt eſſe ſecurus, niſi cõſummata fuerit iſta uita, quæ tẽptatio eſt ſuper terrã. Sed faciet perſeuerare in ſe uſq; ad huius uitæ finem, cui cotidie dicimus: ne nos inferas in tentationem. Videtis ne obſecro, quantũ diſtet hic ſermo ab eo, quem compoſuit malignitas obloquentium? qui ſtuduerunt etiam ea, quæ recte dicit, exquiſita uerborum fraude corrumpere? De quo idem doctor rectiſſime ait: Doloſi autem uel imperiti medici eſt, etiam utile medicamentum ſic alligare, ut aut non prõſit, aut obſit. Et iterũ de ſimili ineptia: Nempe, inquit, hoc uerißimũ eſt: ita ſane: ſed improbiſſimũ, importuniſſimũ, inconcruẽtiſſimũ: nõ falſum eloquio, ſed nõ ſalubriter uaHiere.11. Pſal.117. pſal.2.

liudi

litudini humanæ infirmitatis appositũ. Nõ igitur ne ceße est de his rationẽ reddere, quæ et ab alijs dicta, et ab ipso ostẽdimus improbatæ: ita tamẽ, ut nihil sibi per falsorũ admixtionẽ præripi pateretur ex ueris. Quũuis enim nunquã tam inspiẽter locutus sit ad populũ Christianũ, & id quod mẽdax obtrectatio ineptißime finxit, horruerit, pia tamen, cõstantiq; doctrina, abundãter probauit, prædicandã eße ecclesiæ prædestinationem, in qua est gratiæ præparatio: & gratiam, in qua est prædestinationis effectus: & præscientiam dei, qua ante secula æterna quibus esset conlaturus sua dona præsciuit. Cuius prædicationis quisque est impugnator, apertissimus est Pelagianæ elationis adiutor. Hoc autem quod in fine posuisti is, superiori capitulo, ubi Tyriorum & Sidoniorum mentio facta est, debuit copulari: quia etiam in libri corpore, eidẽ causæ, sine cuiusquam diuersæ disputationis interiectione, conexum est. Vnde & responsio, quam præcedentibus subdidi, potest etiam ad istas sufficere: in quibus nulla est obscuritas, si de fide prædestinationis & gratiæ dei, ex qua est omnium bonorũ origo perseuerantiaq; meritorum, hoc teneatur quod habet ueritas.

Finitæ Responsa ad Excerpta quæ de Genuensi ciuitate sunt missa.

INCIPIT RESPONSIO SANCTI AVGVSTINI AD DVLCITIVM DE OCTO QVAESTIONIBVS AB EO MISSIS.

PRAEFATIO.

VANTVM mihi uideturſi li dilectiſſime Dulciti, nõ tarda ui reſpõdere interrogationibus tuis. Per paſcha q̃ppe hoc ãno, quo dominicũ eius fuit. 3. Kal. Aprił. à Carthagine mihi miſſas literas tuæ dilectionis accepi. Poſt eos autẽ dies ſanctos, cõfeſtim Carthaginẽ ſum profectus. In qua ciuitate nihil me dictare permiſit occupationũ, quæ ibi nõ poteſt deeſſe, nimia multitudo. Sed poſtea quàm inde regreſſus ſum, peractis apud noſtros quindecim diebus, qui me per abſentiã diuturnã, curare alia cõpulerunt, cũ poſt tres mẽſes redire permiſſus ſum, reſcribere iſta non diſtuli. Et abs te miſſis quæſtionibus, quæ à me per diuerſa opuſcula mea iam fuerãt pertractata, ex eiſdẽ opuſculis reddere, uel ſolutionẽ, uel cæte diſceptationẽ meam. Deniq; illud tantũmodo ubi quæris, quare dixerit dominus

minus, nimirum præscius futurorum: Elegi Dauid secundũ cor meum: cum ille talia & tanta commiserit. Vbi tractauerim, et quo modo id exposuerim, nõ potui reperire: & utrũ sit in aliquo libro uel epistola mea, nescio. Ac per hoc quoniam mihi intulisti nouæ disputatiõis necessitatẽ, in hac mea rescriptione id ultimũ feci: prius uolens ea ponere, quæ habebam in alijs meis uoluminibus præparata: ut nec studio tuæ sanctitatis deessem, quod mihi est gratissimũ: nec alio modo eadem dicere cogerer, quod mihi esset laboriosissimũ, ne de aliquo amplius adiuuaret.

QVAESTIO I.

PRIMA ITAQVE propositio tua est: Vtrũ aliquãdo qui sunt post baptismum peccatores, exeant de gehenna? Aliquantorum nanq; super hoc, inquis, diuersa sententia est, respondentium: Sicut iustorum præmium, ita peccatorum finem non habere tormenta. Asseuerare etenim cupiunt, tam perpetem uindictam manere, quàm præmium. Quibus contra præscribitur Euangelica illa sententia, quæ ait: Non exies inde donec reddas nouissimum quadrantẽ. Superest ergo, ut hoc reddito possit exire. Credimus hoc & Apostoli definitiõe dicẽtis: Ipse aũt saluus erit, sic tamẽ quasi p ignẽ. Sed quoniam Matth.5. 1.Cori.3.

Matth.1. alibi legimus, inquis, & non cognouit eam donec peperit: quod ita interpretari non possumus. Icaro de hoc apimus fieri certiores. Huc usq; est ꝓpositio tua. Cui respondeo ex libro meo, qui inscribitur de fide & operibus. Vbi de hac re ita locutus sum: Iacobus autem, inquam, tam uehementer infestus est eis, qui sapiunt fidem sine operibus ualere ad salutem, Iacobi.2. ut illos etiam dæmonibus comparet, dicens: Tu credis quoniã unus est deus, bene facis: & dæmones credunt & contremiscunt. Quid breuius, ucrius, uehemẽtiusq; dici potuit, cum & in Euangelio legamus hoc dixisse dæmonia, cum Christum filium dei cõfiterentur, & ab illo corriperentur, quod in Petri con Iacobi.2. fessione laudatum est? Quid proderit fratres mei, ait Iacobus, si fidem dicat se quis habere, opera autẽ nõ habeat? Numquid poterit fides saluare eum? Dicit etiam, quia fides sine operibus mortua est. Quousq; igitur falluntur, qui de fide mortua sibi uitam perpetuam pollicentur? Quapropter diligẽter oportet attendere quomodo accipienda sit Apostoli Pauli sen/ i.Cori.3. tẽtia, planè ad intelligendum difficilis, ubi ait: Fundamentũ autem aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulã, uniuscuiusque opus manifestabitur. Dies enim domini de cla=

ni declarabit: quia in igne reuelabitur: & uniuſcuiusque opus quale ſit ignis probabit. Si cuius opus mãſerit, quod ſuperædificauit, mercedẽ accipiet. Cuius autẽ opus arſerit, damnũ patietur. Ipſe enim ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Quod ita intelligendum putãt, ut illi uideantur ædificare ſuper hoc fundamentum, aurum, argẽtum, lapides precioſos, qui fidei, quæ in Chriſto eſt, bona opera adijciunt. Illi autem ligna, fœnum, ſtipulam, qui, cum eandẽ fidem habeãt, male operantur. Vnde arbitrantur per quaſdam pœnas ignis poſſe purgari ad ſalutem perapiendã, merito fundamenti. Hoc ſi ita eſt, fatemur iſtos laudabili charitate cõnari, ut omnes indiſcrete admittantur ad baptiſmũ, nõ ſolum adulteri & adulteræ contra ſententiam domini falſas nuptias prætendentes: uerum etiam publicæ meretrices, in turpiſſima profeſſione perſeuerantes. Quas certe nulla etiã negligẽtiſſima eccleſia cõſueuit admittere, niſi ab illa primitus proſtitutione liberatas. Sed iſta ratione, cur non omni modo admittantur, omnino nõ uideo. Quis enim non malit eas propoſito fundamento, liæt ligna, & fœnum, & ſtipulam congregent, aliquanto ærte diuturniore igne purgari, quàm in æternum perire? Sed falſa erunt illa quæ obſcuritatẽ ambiguitatemq; non habent. Si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem i. Cor. 13.

Iacobi.2. nõ habeam, nihil ſum. Et quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Nũquid poterit fides ſaluare eum? Falſum erit et
1. Cor.6. illud: Nolite errare, neque fornicatores, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neq; auari, neque ebrioſi, neq; maledici, neque rapaces, regnum
Gala.5. dei poſſidebunt. Falſum eſt & illud: Manifeſta ſunt opera carnis: quæ ſunt, fornicationes, immunditia, contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſentiones, hæreſes, inuidiæ, ebrietates, comeſatiões, et his ſimilia: quæ prædico uobis ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum dei nõ poſſidebunt. Falſa erunt hæc: Si enim tantummodo credant & baptizentur, quamuis in malis talibus perſeuerent, ſalui erunt per ignem: atque ideo in Chriſto baptizati, etiam qui talia agunt, regnum dei poſſidebunt. Fru
1. Cor. 6. ſtra autem dicitur: hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, quando & abluti, hæc ſunt. Inaniter etiam
1. Petri.3. illud à Petro dictum uidebitur: Sic & uos fratres charißimi ſimili forma baptiſma ſaluos facit, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio. Siquidem & habentes peſſimas conſcientias omnium flagitiorum & ſcelerum plenas, nec eorum malorum pœnitentia mutatas, tamen baptiſma ſaluos fecit. Propter fundamentum enim,

quod

quod in eodem baptiſmate ponitur, licet per ignem, ſalui erunt. Illud quoque non uideo cur dominus dixerit: Si uis uenire ad uitam, ſerua mandata. Et commemorauit ea quæ ad bonos mores pertinent, ſi etiam his non ſeruatis, ad uitam uenire poteſt. Illud deinde quomodo uerum erit, quod eis, quos ad ſiniſtram poſiturus eſt, dicit? Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Quos non increpat, quia in eum non crediderunt, ſed quia bona opera non fecerunt. Nam profecto ne ſibi quiſquam de fide, quæ ſine operibus mortua eſt, uitam æternam promittat, propterea omnes gentes ſegregaturum ſe dixit, quæ permixtæ eiſdem paſcuis utebantur: & appareat eos illi dicturos: Domine quando te uidimus illa & illa patientem, & non miniſtrauimus tibi? Qui in eum crediderant, ſed bona operari non curauerant, tanquã de ipſa fide mortua ad uitam perueniretur æternam. An forte ibunt in ignem æternum qui opera miſericordiæ non fecerunt: & non ibunt qui aliena rapuerunt, uel corrumpendo in ſe templum dei in ſeipſos immiſericordes fuerunt? quaſi opera miſericordiæ proſint aliquid ſine dilectione, Dicente Apoſtolo: Si diſtribuam omnia mea pauperibus, charitatem autem non habeã nihil mihi prodeſt. Aut diligat quiſquam proximum ſicut ſemetipſum, qui non diligit ſeipſum?

Matt. 19.

Matt. 25.

1. Cor. 13.

Psal.10. scipsum? qui enim diligit iniquitatẽ, odit animam suam. Neque illud hic dicã potuerit, in quo nonnulli scipsos seducunt, dicentes: Ignem æternũ dictum, nõ ipsam pœnam æternam. Per ignem quippe, qui æternus erit, transituros arbitrantur eos, qui propter fidem mortuam per ignem promittunt salutem. Et licet ipse ignis æternus sit, cõbustio uero eorũ, hoc est, operatio ignis, nõ sit in eis æterna: cum et hoc præuidens dominus (tãquam dominus) sententiã suam ita cõcluserit, dicens: Sic ibunt illi in combustionem æternam, iusti autem in uitam æternam. Erit ergo æterna combustio sicut ignis: & eos in illam ituros ueritas dixit, quorum non fidem, sed bona opera defuisse declarauit. Si ergo hæc omnia, & cætera, quæ innumerabilia per omnes scripturas sine ulla ambiguitate dicta reperiri poßunt, falsa erunt, poterit uerus esse intellectus de lignis, & fœno, & stipula, quod hi salui erunt per ignem, qui solam in Christo fidem tenentes, bona opera neglexerunt. Si autẽ ista uera & clara sunt, proculdubio in illa Apostoli sententia, alius requirendus est intellectus. Atq; in his deputanda est, quæ Petrus dicit esse in scriptis eius quædam difficilia intellectu, quæ non debent homines peruertere ad proprium interitum: ut contra euidentissima testimonia scripturarum securos faciant de perapienda salute nequißimos, nequitiæ suæ pertinacißimę

tinacißime cohærentes, nec emendando, aut pœnitendo mutatos. Hic à me fortaſſe quæratur de ipſa Pauli Apoſtoli ſententia quid ego ſentiam? & quonam modo intelligendam putem? Fateor malle me hinc audire intelligentiores atque doctiores, qui ſic eam exponãt, ut illa omnia uera & inconcuſſa permaneant, quæ ſupra commemoraui. Quibus apertißime ſcriptura teſtatur nihil prodeße fidem, niſi eam, quam definiuit Apoſtolus, id eſt, quæ per dilectionem operatur. Sine operibus autem ſaluare non poſſe, neq; per ignem: quia ſi per ignem ſaluat, ipſa utiq; ſaluat. Abſolute autem dictum eſt & aperte: Quid prodeſt ſi dicat quis fidem ſe habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides ſaluare eũ? Dicam tamen quam breuißime potero & ipſe, quid ſentiam de illa ſententia Pauli Apoſtoli ad intelligendum difficili: dummodo illud quod ad profeßionem meã attinet præcipue teneatur, quod de hac me malle dixi audire meliores. Fundamentum Chriſtus eſt, inſtructura architecti ſapientis. Hoc expoſitione non indiget. Aperte enim dictum eſt: Fundamẽtum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Si autem Chriſtus, proculdubio fides Chriſti. Per fidem quippe habitat Chriſtus in cordibus noſtris, ſicut idem Apoſtolus dicit. Porrò ſi fides, illa utiq;, quam definiuit Apoſtolus:

Obiectio

Iacobi. 2.

1. Cor. 3.

Ephe. 3.

lus: quæ per dilectionẽ operatur. Non enim fides illa dæmonũ, cum & ipſi credãt & cõtremiſcant, & filium dei confiteantur Ieſum, poteſt accipi in fundamentum. Quare, niſi quia nõ fides quæ per dilectionem operatur, ſed quæ exprimitur per timorẽ? Fides itaq; Chriſti, fides gratiæ Chriſtianæ: id eſt, ea fides, quæ per dilectionem operatur, poſita in fundamento, neminem perire permittit. Sed quid ſit ædificare ſuper hoc fundamentum, aurum, argentũ, lapides precioſos, ligna, fœnũ, ſtipulã, ſi ſubtilius diſſerere coner, uereor ne ad intelligendum difficilior ſit ipſa expoſitio. Enitar tamen, quantũ dominus adiuuat, & breuiter, & quantum potero dilucide expedire quod ſentio. Ecce ille, qui quæſiuit à magiſtro bono, quid boni faceret ut haberet uitã æternam: & audiuit: ſi ad uitam uenire uellet, ſeruanda ſibi eſſe mandata: Dictũ eſt ei: Nõ occides, Nõ mœchaberis, Mat. 19. Non furtum facies, Non falſum teſtimoniũ dices, Honora patrem tuũ & matrem tuã, &, Diliges proximum tibi ſicut teipſum: Hæc faciens in fide Chriſti, teneret procul dubio fidem quæ per dilectionem operatur. Neque enim diligeret proximum tãquam ſeipſum, niſi recepta dilectione dei, ſine qua non diligit ſeipſum. Porrò ſi faceret qđ dominus addidit, dicẽs: Si uis perfectus eſſe, uade uende omnia quæ habes, & da pauperibus, et habebis theſaurũ in cœlis,

& ueni

et ueni sequere me: ædificaret, super illud fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos. Non enim cogitaret, nisi quomodo placeret deo. Et hæ cogitationes sunt, quantũ existimo, aurum, argentum, lapides pretiosi. Porrò si area diuitias suas quodã carnali teneretur affectu, quamuis ex eis multas eleemosynas faceret, nec ad eas augendas fraudis aliquid rapinæq; moliretur, aut earum minuendarum aut amittendarum metu, in aliquod facinus flagitium ue labe retur, alioqui iam se isto modo ab illius fundamenti stabilitate subtraheret: sed propter carnalẽ, ut dixi, quẽ in eis habebat affectũ, quo talibus bonis sine dolore carere non posset, ædificaret super fundamentum illud, ligna, fœnum, stipulam: maxime si & uxorem sic haberet, etiam propter ipsam cogitaret ea quæ sunt mundi quomodo placeret uxori. Hæc igitur quoniam affectu dilecta carnali non sine dolore amittantur, propterea, qui ea sic habent, ut habeant in fundamento fidem quæ per dilectionem operatur, neque huic ulla ratione uel cupiditate præponant in eorum amissione passi detrimentũ, per ignem quendam doloris perueniunt ad salutem. A quo dolore atq; detrimento tãto est quis securior, quãto ea uel minus amauerit, uel tanq̃ nõ habens habuerit. Qui uero propter illa, uel tenenda, uel adipiscenda, homicidiũ, adulteriũ, fornicationẽ, idololatriam,

idololatriam, & similia quæcunq; commiserit, non propter fundamentũ per ignem saluabitur, sed amisso fundamento, æterno igne torquebitur. Quam ob rem & illud quod dicunt, ueluti probare cupientes quantũ ualeat sola fides, ubi Apostolus dicit: Quod si infidelis discedit, discedat. Non est enim seruituti subiectus frater aut soror in eiusmodi, id est, ut propter fidem Christi etiam ipsa uxor, legitimâ societate coniuncta, sine culpa relinquatur. Si cũ uiro Christiano propter hoc qa Christianus est permanere noluerit, nõ attendunt eo modo illam rectissime dimitti, si uiro suo dicat: non ero uxor tua nisi mihi de latrocinio diuitias congeras, aut nisi solita lenocinia quibus nostrã domũ transigebas, etiam Christianus exerceas: aut si quid aliud uel facinoroſum, uel flagitioſum in uiro nouerat, quo delectata uel libidinem explebat, uel facilem uictum habebat, uel etiã mœdebat ornatior. Tunc enim ille aut hoc uxor dicit, si ueraciter egit pœnitentiã ab operibus mortuis quando acceſsit ad baptiſmum, habetq; in fundamento fidem quæ per dilectionẽ operatur, proculdubio plus tenebitur amore diuinæ gratiæ, quàm carnis luxuriæ, & membrũ quod eum ſcandalizat fortiter amputat. Quicunq; autem in diremptione hac, dolorẽ cordis carnalem affectũ coniugis ſuſtinebit, hoc eſt de timentum quod patietur, hoc eſt ignis per quem

fœno

fœno ardente ipſe ſaluabitur. Si autẽ iam ſic habebat uxorem tanquam non habens, non propter concupiſcentiam, ſed propter miſericordiam, ne forte eam ſaluam faceret, reddens potius quã exigens debitũ coniugale, profecto nec dolebit carnaliter cum ab illo tale conubium ſeperabitur, Neq; enim in ea cogitabat niſi quæ ſunt dei, quomodo placeret deo. Ac p hoc, in quantum aurũ, argentum, lapides preciojos, illis cogitationibus ſuperædificabat, in tantum detrimentum nullum pateretur, in tantum ſtructura eius, quæ non erat fœnea, nullo incendio cremaretur. Siue ergo in hac tantum uita homines iſta patiuntur, ſiue etiam per hanc uitam talia quædam iudicia ſubſequuntur, non abhorret, quantum arbitror, à ratione ueritatis iſte intellectus huiuſce ſententiæ. Verum tamen etiam ſi eſt alius, qui mihi nõ occurrit, potius eligendus, iſtum quàm diu tenemus, non cogimur dicere, iniuſtus, non ſubditis, ſceleſtis, contaminatis, parricidis, homicidis, fornicatoribus, maſculorum conubitoribus, plagiarijs, mẽdacibus, periuris, & ſi quid aliud ſanæ doctrinæ aduerſatur, quæ eſt ſecundum euangelium gloriæ beati dei. Si tantũmodo in Chriſtum credatis, & ſacramentum baptiſmi eius accipiatis, etiam ſi uitam peſſimam non mutaueritis, ſalui eritis. Vnde nec illa nobis mulier chananea præſcribit, quia dominus ei quod petebat dedit, cũ antè dixiſ

Als, poſt hanc.

Matt. 5. set: Nõ est bonũ tollere panem filiorũ, et mittere canibus. Quia ille cordis inspector mutatã uidit, quãdo laudauit: et ideo nõ ait, ó canis magna est fides tua: sed ó mulier magna est fides tua. Mutauit nocabulũ, quia mutatũ uidit affectũ: atq; illã correptionẽ ad fructũ puenisse cognouit. Miror autẽ si laudaret in ea fidẽ sine operibus, id est, fidẽ nõ talem quæ per dilectionẽ posset operari, sed fidem mortuã: & quã Iacobus dicere minime dubitauit, fidẽ non Christi ianoñ sed dæmoniũ. Postremo, si istam chananeã nolunt intellegire mutasse perditos mores quando eam Christus contemnendo & corripiendo redarguit, quoscunq; inuenerint tantummodo credere, uitam uero inquinatissimam nec saltem occultare, sed etiam libere profiteri ac nolle mutare, sanent filios eorum si possunt, sicut sanata est filia chananeæ mulieris: Nõ tamen eos faciant membra Christi, cum ipsi esse non desinant, membra meretricis. Itemq; in eo libro cuius titulus est, De fide, spe, et charitate, quẽ scripsi ad filium meum fratrem tuũ Laurẽtium, ista de hac re uerba mea sunt: Creduntur, inquam, à quibusdam etiam hi, qui nomẽ Christi non relinquunt, & eius lauacro in ecclesia baptizantur, nec ab ea ullo scismate uel hæresi præciduntur, in quantislibet sceleribus uiuant, quæ nec diluant pœnitendo, nec eleemosynis redimãt, sed in eis usque ad huius uitæ ultimum diem pertinacissime perseuerent, salui futuri per i-

Iacobi. 2.

gnem, licet pro magnitudine facinorum flagitiorũq; diuturno, non tamen æterno igne, puniri. Sed qui hoc credunt, & tamen catholici sunt, humana quadam beneuolentia mihi falli uidẽtur. Nam scriptura diuina, aliud consulta respondet. Librum autem de hac quæstione cõscripsi, cuius titulus est, De fide & operibus. Vbi secundum scripturas sanctas, quãtum deo adiuuante potui, demonstraui eam fidem saluos facere, quàm satis euidenter expressit Paulus apostolus dicens: In Christo enim Iesu neq; circũcisio quicquã ualet, neq; preputiũ, sed fides quæ per dilectionẽ operatur. Galat. 5. Nam fides quæ per dilectionẽ non operatur, procul dubio secundũ Apostolum Iacobũ, mortua est in semetipsa. Qui rursus ait: Si fidem quis dicat se habere, opera autẽ non habeat, nunquid poterit fides saluare eũ? Iacobi. 2. Porrò autẽ si homo sceleratus, propter solam fidẽ per ignẽ saluabitur: et sic est accipiendũ qđ ait beatus Paulus: Ipse autẽ saluus erit, sic tamẽ quasi per ignẽ: poterit ergo saluare sine operibus fides: 1. Cor. 3. Et falsum erit qđ dixit eius coapostolus Iacobus: falsum erit & illud, quod idẽ ipse Paulus dixit: Nolite, inquit, errare, neque fornicatores, neq; idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorũ cõcubitores, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces, regnũ dei possidebũt. 1. Cor. 6. Si enim etiã in istis pseuerantes criminibus, tamẽ propter

fidem Christi salui erunt, quomodo in regno dei nō erunt? Sed quia hæc apostolica manifestissima & apertissima testimonia falsa esse nō possunt, illud quod obscure dictum est de his, qui superædificant super fundamentū quod est Christus, nō aurū, argentū, lapides præciosos, sed ligna, fœnū, stipulā (de his enim dictū est, quod per ignem salui erunt, quoniam fundamenti merito nō peribunt) sic est intelligendū, ut his manifestis non inueniatur esse contrarium. Ligna quippe, & fœnū, & stipula, nō absurde accipi possunt rerū secularium, quamuis licitæ cōcessarum, talesq; cupiditates, ut amitti sine animi dolore nō possint. Cū autem iste dolor urit, si Christus in fundamento habet locū, id est, ut ei nihil anteponatur, & malit homo, qui tali dolore uritur, rebus, quas ita diligit, magis carere quàm Christo, per ignē fit saluus. Si autē res eiusmodi tēporales ac seculares, tēpore tentationis maluerit tenere quā Christū, eum in fundamento nō habuit, qui hæc priore loco habuit: cū in ædificio prius nō sit aliquid fundamēto. Ignis enim de quo eo loco locutus est Apostolus, talis debet intelligi, ut ambo per eum transeāt: id est, qui ædificat sup hoc fundamentū aurū, argentū, lapides precioſos: et qui ædificat ligna, fœnū, stipulā. Cū enim hoc dixisset, adiunxit: Vniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit: Si cuius opus permanserit, quod superædificauit mer-

1. Cor. 3.

ædem

cedem accipiet. Cuius autẽ opus exustum fuerit, damnũ patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignẽ. Non ergo unius eorum, sed utriusq; opus ignis probabit. Est quidam ignis tentatio tribulationis: de quo aperte alio loco scriptum est: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Iste ignis in hac interim uita facit, quod Apostolus dixit: Si acadat fidelibus duobus, uni sali cet cogitanti quæ sunt dei, quomodo placeat deo, hoc est ædificẽti super Christum, aurum, argentum, & lapides preciosos: alteri autem cogitanti ea quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, id est ædificẽti super idem fundamentum, ligna, fœnum, stipulam. Illius enim opus non exuritur: quia non ea dilexit quorum amore crucietur. Exuritur autem huius: quoniam sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. Sed quoniã alterutra cõditione propositu, eis potius mallet carere quàm Christo, nec timore amittendi talia, descrit Christum, quamuis doleat cum amittit, saluus quidem erit, sic tamen quasi per ignem. Quia urit eum dolor rerũ quas dilexerat amissarum: sed non subuertit neq; consumit, fundamenti stabilitate atq; incorruptione munitum. Tale aliquid etiam post hanc uitam fieri incredibile non est: & utrum ita sit quæri potest. Et aut inueniri aut latere nonnullos fideles per ignem quendam purgato Eccle. 27 1. Cor. 7.

rium, quanto magis minus uel bona peruentia dilexerunt, tanto tardius citiusq; saluari. Non tamen tales de qualibus dictum est, quod regnum dei non possidebunt, nisi conuenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur. Conuenienter autem dixi, ut sterriles in elecmosynis nõ sint, quibus tantũ tribuit scriptura diuina, ut earum tantummodo fructum se imputaturum prænuntiet domninus dextris, & earum
Matt .25. tantũmodo sterilitatẽ sinistris: quando his dicturus est: Venite benedicti patris mei pcipite regnũ dei: illis
Matt.5. aũt, ite ĩ ignẽ æternũ. Hæc de duobus opusculis meis satis puto quæstioni tuæ fuisse responsa. De illa uero sentẽtia domini: nõ exies inde donec reddas nouissimũ quadrantẽ respondere mihi nceesse nõ fuit: cum
Matth .1. iam ipse quæstionem similem ex Euangelij lectione soluisti, ubi scriptum est: Non cognouit eam donec peperit. Sane ut non te celem de hac re cogitationẽ meam, uellem si fieri poßet, immo uero uolo si fieri potest, in hac quæstione ueritate superari. Illud enim quod dicitur quandoque, & si plurimi temporis, eos, qui in catholica communione moriuntur, quamuis usque in finem uitæ huius flagitiosissime & sceleratissime uixerint, de pœnis ultricibus exituros; familiarius meum tãgit affectum, quẽ habemus circa eos, qui nobiscum corporis & sanguinis Christi sacramẽta cõmunicant, quamuis eorũ

mores

mores perditos oderimus, quos disciplina ecclesiasti
ca emendare non possumus, aut à mensa dominica se
parare, sed à ueritate uinci uolo, quæ sacris literis
apertißime non resistit. Non enim quæ resistit, dian
da est ulla ratione ueritas, uel putanda, sed interim
donec audiamus tale aliquid aut legamus, auscultē- 1. Cor. 6.
mus ei qui dicit: Nolite errare neque fornicatores,
neque idolis seruientes, et cætera. regnū dei possidē/
bunt. Quia si talia sunt quæ contradicunt, ut ho-
rum uerborū Apostolicorū manifestationem in ali-
os sensus duere nequeant, profecto aduersus ea nos
instruxit & paratos esse uoluit idem Apostolus di/ Ephe. 5.
cens. Hoc enim scitote intelligētes, quoniam omnis
fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idē/
lorum seruitus, non habet hæreditatem in regno
Christi & dei. Nemo uos seducat inanibus uer-
bis. Cum ergo audierimus quosdam fornicatores,
& immundos, & auaros, per ignem saluari ut ha
beant hæreditatem in regno Christi & dei, non ob-
surdescamus contra istum reclamantem & dicen-
tem: Omnis fornicator, aut immundus, aut aua/
rus, non habet hæreditatem in regno Christi &
dei: Et ne adquiescamus illius uerbis, cōtinuo
subijcientem: Nemo uos seducat
inanibus uerbis.

QVAESTIO SECVNDA.

TRVM OBLATIO quæ fit pro quiescentibus, aliquid eorum conferat animabus, cum euidenter nostris aut subleuemur actibus, aut grauemur? Siquidem cum legamus quod in inferno nemo iam possit confiteri, aut, quod multi dicunt, quod aliqd beneficij in hoc loco posit esse post mortẽ, quanto magis sibi anima ferret ipsa refrigeriũ sua per se illic cõfitendo peccata, quàm in eorũ refrigeriũ ab alijs oblatio procuratur? Dixi aliquid de hac re in eo libro, quẽ nuper ad sanctũ Paulinum Nolanum episcopũ scripsi, cum me consuluisset, Vtrum sepultura quæ fit in memorijs martyrũ, prosit aliquid spiritibus mortuorũ? Inde est hoc qd' his ad te literis insero: Diu inq̃ sanctitatis tuæ cœpiscope uenerãde Paulinę scriptorũ debitor fui, ex quo mihi scripsisti per homines filiæ nostræ religiosissimæ Floræ, quærens à me utrum prosit cuiq; post mortem, quod corpus eius apud sancti alicuius memoriã sepeliatur? Hoc enim abs te uidua memorata petierat pro defuncto in eis partibus suo filio. Et rescripseras consolans eam: idq; etiam nuntians de cadauere fidelis iuuenis Cinegij, quod materno et pio affectu desiderauit esse completum, ut scilicet in beatissimi Felicis confessoris basilica poneretur. Qua occasione factũ est, ut per

ut per eosdem perlatores literarum tuarum, etiam mihi scriberes, ingerens huiusce modi quæstionem: atq; ut responderem quid mihi eximde uideretur exposcens, nec tacens ipse quid sentias. Nam dicis uideri tibi, non esse inanis motus animorum religiosorum atq; fideliũ, pro suis ista curantium. Adiungis etiã uacare non posse, quod uniuersa pro defunctis ecclesia supplicare consueuit, ut hinc & illud conijci possit, homini prodesse post mortem, si fide suorum, humando eius corpori talis prouideatur locus, in quo appareat opitulatio, etiã isto modo quæsita, sanctorũm. Sed cum hæc ita sint, quomodo huic opinioni contrarium nõ sit, quod ait Apostolus: Omnes enim adstabimus ante tribunal Christi, ut ferat unusquisq; que secũdum ea quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum, non te satis uidere significas. Hæc quippe Apostolica sententia, ante mortem admonet fieri quod possit prodesse post mortem, non tunc, quando iam reapiendum quod quisq; gesserit ante mortem. Verum hæc ita soluitur quæstio: quoniam quodã uitæ genere acquiritur, dum in hoc corpore uiuitur, ut aliquid adiuuent ista defunctos: ac per hoc secundum ea quæ per corpus gesserũt, eis quæ per corpus religiose pro illis facta fuerint adiuuantur, siue pro eis fiãt, quorũ tam mala sunt merita, ut nec talibus digni sunt adiuuari. (Sunt enim quos omnino nihil

Obiectio 2. Cor. 5.

Solutio.

adiuuẽt ista) siue p eis quorũ tã bona sunt ut talibus nõ indigeãt adiumẽtis. Genere igitur uitæ, quod gessit quisq; p corpus efficitur, ut prosint uel nõ prosint quæcunq; pro illo pie fiunt, cũ reliquerit corpus. Nã meritũ p qd' ista prosint, si nullũ cõparatũ est in hac uita, frustra post hanc quæritur uitã. Ita fit, ut neq; inaniter ecclesia, uel suorũ cura pro defunctis quod potuerit religionis impendat, & tamen ferat unusquisque secundum ea quæ gessit per corpus, siue bonum, siue malum, reddẽte domino unicuique secundum opera eius. Vt enim hoc quod impẽditur posit ei prodesse post corpus, in ea uita est acquisitũ quã gessit in corpore. Dixi etiã tale aliquid ad Laurentium, quod ita se habet: Tempus autẽ, inquam, quod inter hominis mortem et ultimã resurrectionẽ positũ est, animas abditis receptaculis cõtinet, sicut una quæq; digna est uel requie uel erumna, pro eo quod sortita est in carne dũ uiueret. Neq; negãdũ est defunctorũ animas pietate suorum uiuentiũ releuari, cum pro illis sacrificiũ mediatoris offertur, uel eleemosynæ in ecclesia fiunt, sed eis hæc prosunt, qui cum uiuerẽt, ut hæc sibi postea possent prodesse, meruerũt. Est enim quidã uiuẽdi modus, nec tam bonus ut nõ requirat ista post mortem: nec tam malus, ut ei non prosint ista post mortem. Est uero talis in bono ut hæc nõ requirat: est et rursus talis in malo, ut nec hiis ualeãt,

Augusti. in Enchiridion capite. 109.

ualeat, cũ hæc uita trãsierit adiuuari. Quocirca hic omne meritũ cõparatur, quo possit post hanc uitam relcuari quispiã uel grauari. Nemo se autem sperct quod hic neglexit, cũ obierit apud deum promere=ri. Nõ igitur ista, quæ pro defunctis cõmendãdis fre quẽtat ecclesia, illi apostolicæ sunt aduersa sentẽtiæ qua dictũ est: Omnes enim astabimus ante tribunal 2. Cor. 5.
Christi, ut ferat unusquisque secundum ea, quæ per corpus gessit, siue bonum siue malum: quia etiam hoc meritum sibi quisque cum in corpore uiueret comparauit, ut ei possint ista prodesse. Non enim omnibus prosunt. Et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam uitæ, quam quisque ges=sit in corpore? Cum ergo sacrificia siue altaris, siue quarumcunq; eleemosynarũ pro baptizatis defun=ctis omnibus offeruntur, pro ualde bonis gratiarum actiõcs sunt, pro nõ ualde malis propitiatiões sunt. Pro ualde malis etiã si nulla sunt adiumenta mor=tuorũ, qualescunq; uiuorũ consolationes sunt. Qui=bus aũt prosunt, aut adhoc prosunt ut sit plena remis sio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio.

QVAESTIO III.

IERTIA TVA quæstio est, Vtrũ statim in aduẽtu domini credendũ sit futurũ esse iudiciũ, an spatio interposi to temporis, in cuius diebus aduẽtus, quoniam

1. Thes. 4 quoniã legimus, inquis, quod qui supererũt, rapientur in nubibus obuiam Christo in aëra, et sic semper cum domino futuri sunt, nosse desidero, utrum mox iudicium comitetur aduentũ: et hi qui, rapiuntur in nubes, an soluãtur in mortẽ, nisi forte ad uicẽ mortis ipsam immutationem debeamus accipere. Huic interrogationi tuæ qua quæris: Vtrũ in aduentu domini mox credendum sit futurum esse iudicium, puto quod sufficiat fides symboli qua confitemur Christum à patris dextera esse uenturũ ad uiuos & mortuos iudicandos. Cum ergo ipsa sit ei causa ueniẽdi, quid aliud acturus est mox ut uenerit, nisi propter quod uenit? De illis autem qui rapientur in nubibus, in quadã epistola quã scripsi ad filiũ meũ nomine Mercatorẽ, quæ ĩcipit: Proculdubio notissimũ uobis: cũ me cõsuluisset de quibusdã quæstionibus Pelagianorũ, qui negãt mortẽ esse peccato retributã, quatenus disputauerim in subditis lege. Illi aũt, inquam, de quibus dixit Apostolus, cum loqueretur de resurrectione mortuorum: & nos uiuentes qui relinqui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Christo in aëra: & ita semper cum domino erimus. Afferunt quidem aliquid quæstionis, sed per se ipsos nõ propter istos. Nã etsi non sunt etiã ipsi morituri, quid istos adiuuet omnino nõ uideo: cũ talia de his dicta possint, qualia de illis dicta sunt duobus,

Enoch

Enoch ſcilicet & Helia. Sed & reuera, quantũ ad uerba beati Apoſtoli pertinet, uidetur adſerere quoſdam in fine ſeculi aduenientẽ domino, cum futura eſt reſurrectio mortuorum, non eſſe morituros, ſed uiuos repertos, in illam immortalitatem, quæ ſanctis etiam cæteris datur, repẽte mutandos, & ſimul cũ illis rapiendos, ſicut dicit, in nubibus. Nec aliquid aliud mihi uiſum eſt, quoties de his uerbis uolui cogitare. Sed uellẽ hinc potius audire doctiores: ne illis etiam, qui putant aliquos morte non præcedente uiuificatos, ad uitã perpetuã tranſituros, dicere inueniatur Apoſtolus: Stulte, tu quod ſeminas, nõ uiuificatur niſi prius moriatur. Nam & illud quod in pleriſq; cõdicibus legitur: omnes reſurgemus: unde fieri poterit, niſi omnes moriamur? Reſurrectio quippe niſi mors preceſſerit, nulla eſt. Et qd nõnulli cõdices habẽt: oẽs dormiemus, multo facilius & apertius id cogit intelligi, et ſi qd aliud tale in ſanctis libris inuenitur, ad id uidetur impellere, ut nullus hominũ exiſtimetur immortalitatem, niſi mors præceſſerit, adepturus. Proinde ubi dixit Apoſtolus: Et nos uiuentes qui reliqui ſumus in aduẽtu domini nõ præueniemus eos, qui ante dormierunt. Ipſe enim dominus in iuſſu & in uoce archangeli, & in tuba dei deſcendit de cœlo, & mortui in Chriſto reſurgent primi. Deinde nos uiuentes qui reliqui ſumus, ſimul

1. Cor. 15.

1. Theſ. 4

cum

cum illis rapiemur in nubibus obuiã Christo in aẽ-
ra, & ita semper cum domino erimus. Vellẽ de his
uerbis sicut dixi, audire doctiores, & si mihi potue-
rint hæc ita exponi, ut in eis possit intelligi oẽs ho-
mines qui uiuũt, uel post nos uicturi sunt, esse mori-
turos, corrigerẽ qd' hinc aliquãdo aliter sensi. Neq;
enĩ debemus indocibiles esse doctores: et certe meli-
us homo corrigitur prauus, quã frãgitur durus. Cũ
his quæ descripsimus ita nostra uel aliorũ exercea-
tur & erudiatur infirmitas, ut tamẽ in eis nulla ue-
lut Canonica constituatur authoritas. Si aũt in his
uerbis Apostoli nullus alius sensus poterit reperiri,
et hoc eũ ĩtelligi uoluisse claruerit quod uidẽtur uer-
ba ipsa clamare, id est, qd' futuri sint in fine seculi, et
secundo aduentu domini, qui nõ expolientur corpo-
2.Cori.5. re, sed superinduantur immortalitate, ut absorbea-
tur mortale à uita. Huic sententiæ proculdubio con-
ueniet quod in regula fidei confitemur, uenturũ do-
minum iudicaturum uiuos & mortuos. Et non hic
intelligamus uiuos iustos, mortuos autem iniustos,
quãuis iudicãdi sint et iusti et iniusti: sed uiuos quos
nondũ exisse, mortuos aũt quos iam exisse de corpo-
ribus aduẽtus eius inueniet. Quæ si ita esse constite-
rit, illa uerba excutienda erunt, quo modo sic acci-
1.Cor.15. piamus: Tu qd' seminas nõ uiuificatur nisi prius mo-
riatur: & illud, oẽs resurgemus, siue omnes dormie-
mus,

mus, ut non aduersentur huic sententiæ, qua quidã creduntur, etiam cum suis corporibus, in æternũ non gustata morte, uicturi. Sed utrũlibet horum ueracior et perspicacior intellectus inueniatur, qd ad causam pertinebit istorũ, siue oẽs debita morte plectãtur, siue aliquibus ab hac exceptis cõditione parcatur. Cũ tamen constet non solum mortem animæ, uerumetiã corporis secuturã non fuisse, si peccatum nõ præcessisset, & gratiæ mirabiliore uirtute, iustos à morte ad æternã beatitudinem reuiuiscere, quàm in mortis experientiã nõ uenire. Hæc propter illos, de quibus mihi scripsisti, satis dicta sint: quamuis eos iam nõ æstimem dicere, etiã si non peccaßet Adam fuiße uel corpore moriturũ. Cæterũ quod attinet ad quæstionẽ resurrectiõis propter illos qui creditur nõ esse morituri, sed ex hac mortalitate ad immortalitate, sine morte media trãsituri, inquisitio diligẽtior adhibẽda est. Et si qd hinc absolutũ ac definitũ disputatiõe rationabili atq; perfecta, uel audisti uel legisti, uel etiã ipse adhuc audire, uel legere, aut excogitare potueris, peto mihi mittere nõ graueris. Ego enim, qd cõfitendum est charitati tuæ, plus amo discere quàm docere. Nã hoc admonemur etiã dicente Apostolo Iacobo: Sit aũt omnis homo uelox ad audiẽdũ, tardus Iacobi.1. aũt ad loquẽdũ. Vt ergo discamus, ĩuitare nos debet suauitas ueritatis. Vt aũt doceamus, cogere necessitas charita/

tas charitatis. Vbi potius orandũ est ut transeat ista necessitas, qua hominẽ docet aliqd homo, & simus
Esa. 45. omnes docibiles dei: quãuis hoc simus, cum ea, quæ
Ioan. 6. ad uerã pietatẽ pertinẽt discimus, etiam quãdo illa
1. Cor. 3. docere uidetur homo. Quia neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat deus. Cum itaq; si deus incrementum non daret, nihil essent Apostoli plantatores & rigatores, quanto magis ego uel tu uel quilibet huius temporis homines, quando nobis uidemur esse doctores?

QVAESTIO IIII.

QVARTA TVA quæstio est:
Psal. 111. quare dixerit Dauid: Potens in terra erit semen eius, generatio rectorũ benedicetur: Cum sciamus iustorũ filios & fuisse & esse maledictos, & iniustorum & fuisse & esse benedictos. Huic quæstioni de Psalmi ipsius expositione respondeo, quem cum in populo tractarem, dixi: Beatus enim uir qui timet dominũ, in man
In expositione psalmi. 11. datis eius uolet nimis. Viderit deus qui solus & ueraciter & misericorditer iudicat, quantum iste proficiat in mandatis eius: quoniam tentatio est uita
Iob. 7. humana super terram, sicut Sanctus Iob dicit. Et ite
Sapi. 9. rum scriptum est: Quoniam corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio

tatio ſenſum multa cogitãtem: qui autẽ iudicat nos dominus eſt. Nec ante tempus iudicare debemus, donec ueniat dominus, & inluminet abſcondita tenebrarũ, & manifeſtabit cogitationes cordis, & tunc laus erit unicuiq; à deo. Viderit ergo ille quãtum quisq; proficiat in mandatis eius, tamẽ uolet nimis, qui pacẽ illius coædificationis adamauerit: nec iam deſperare debet, quoniã in mandatis eius uolet nimis: & pax in terra hominibus bonæ uolũtatis. Inde, potens in terra erit ſemẽ eius: Et ſemẽ futuræ meſſis, opera eſſe miſericordiæ Apoſtolus teſtis eſt, qui dicit: Bonum autẽ facientes nõ deficiamus: tẽpore enim ꝓprio metemus nõ deficiẽtes. Et iterũ: Hoc autẽ, inquit, qui parce ſeminat, parce & metet. Quid autem fratres potentius, quàm ut regnum cœlorum nõ ſolum Zacheus emat dimidio rerum ſuarum, ſed & uidua duobus minutis, & tantundem ibi utrque poſſideat? Quid potentius, quàm ut idem regnum, & theſauris diuitis, & calice frigide aquæ pauperis ualeat? Sunt autem qui iſta faciunt dum terrena conquirunt, aut hic mercedem ſperantes à domino, aut hominibus placere cupientes. Sed generatio rectorum bene dicetur: id eſt, opera eorum quorum bonus deus Iſrahel, qui recto ſunt corde. Rectum autem cor eſt, non reſiſtere patri emendanti, & credere polliẽnti: Non eorum quibus commouentur pedes, & effunduntur

1. Cor. 4.

Luc. 2.

Gala. 6.

2. Cor. 9.

Luc. 19.

Luc. 21.

Pſal. 74.

Psal. 27. gressus atq; labũtur. Sicut in alio psalmo canitur: Dũ zelãt in peccatoribus pacẽ peccatorũ uidentes, & putãt perire opera sua, quia nõ eis merces redditur peritura. At iste uir qui timet dominũ, et in templũ sanctũ dei cõuersione recti cordis aptatur, nec gloriã hominũ quærit, nec terrenas diuitias concupiscit, & timẽ gloria et diuitiæ in domo eius. Domus enim eius, cor eius est, ubi deo habitãte opulentius habitat, cum spe uitæ æternæ, quã hominibus habitantibus in marmoratis laqueatisq; tectis cum timore mortis æternæ. Huius enim iustitia manet in seculũ seculi. Ipsa eius gloria, ipsæ diuitiæ. Illius autem, purpura & byssus & epulæ splendidæ. Et cum præsto sunt, transeunt: & cum ad finem uenerint, aquæ guttam ex digito stillantem desiderans ardens lingua clamabit. Hæc sunt quæ in dicto psalmo exposuisse me memini, & ad quæstionis tuæ quarto loco propositæ solutionem satis esse nunc existimo.

QVAESTIO VI.

1. Reg. 28 QVINTO autem loco id posuisti, an de post omnia disputaturũ me esse promisi. Sexta tua propositio est, utrum iuxta historiam libri regnorũ Phytonissa ipsum prophetã Samuelẽ de inferno euocauerit. Hoc à me beatæ memoriæ Simplicianus mediolanensis

episcopus aliquando quæsiuit, quid ergo ei rescripserim, subditum lege: Item quæris, inquam, utrum spiritus immundus, qui erat in phytonissa potuerit agere, ut Samuel à Saule uideretur, et loqueretur cũ eo? Sed multo maioris miraculi est, qđ ipse satanas princeps omnium immundorum spirituum potuit loqui cum deo, & petere temptandum Iob, iustissimum uirum: qui etiam Apostolos temptandos petijt. Aut si hoc ideo non habet difficilem quæstionem, quia per quã uoluerit creaturam, cui uoluerit creaturæ ubique præsens ueritas loquitur, nec propterea magni meriti est cui loquitur deus. Interest enim quid ipse loquatur: quia & imperator cum multis innocentibus non loquitur, quibus prouidentissime consulit ad salutem: & cum multis nocentibus loquitur, quos iubet interfici. Si ergo hinc propterea nulla quæstio est, nulla sit quæstio quomodo etiam immũdus spiritus cum anima sancti uiri loqui potuerit. Omnibus enim sanctis deus creator & sanctificator, longe utiq; maior est. Quod si hoc mouet, quod licuerit maligno spiritu excitare animam iusti, et tanquam de abditis mortuorũ receptaculis euocare, nónne magis mirandũ est quod satanas ipsum dominũ adsumpsit & constituit super pinnã templi? Quolibet enim modo id fecerit, ille etiam modus quo Samueli factum est ut excitaretur, similiter latet. Nisi forte quis dixerit faciliorem Iob. 1. Luc. 22. Matt. 4.

diabolo fuisse licentiã ad dominũ uiuũ, unde uoluit adsumendũ, & ubi uoluit cõstituendũ, quàm ad Samuelis defuncti spiritum à suis sedibus excitandum. Quod si illud in Euangelio nos ideo non perturbat, quia dominus uoluit, atq; permisit nullã diminutionẽ suæ potestatis & diuinitatis id fieri, sicut ab ipsis Iudæis, quanquã peruersis atq; immũdis, et facta diaboli facientibus, & teneri se, & uinciri, & illudi, et crucifigi atq; interfici passus est, nõ est absurdũ credere ex aliqua dispẽsatione diuinæ uolũtatis permissum fuisse, ut nõ muitus, nec dominãte aut subiugante magica potentia, sed uolens atq; obtemperans occultæ dispensationi dei, quæ phytonissam illã & Samuelẽ latebat, cõsentiret spiritus prophetæ sancti se ostẽdi aspectibus regis, diuina eũ sententia percussurus. Cur enim anima boni hominis à malis uiuis euocata, siue nerit, amittere uideatur dignitatem suam, cum & uiui plerunque boni uocati ad malos, ueniant, & agant cum eis quod officium postulat æquitatis, seruato atque inconcusso decore uirtutis suæ, & illorum uitijs pro rerum præsentium uel usu, uel necessitate tractatis? Quanquam in hoc facto potest esse alius facilior exitus, et expeditior intellectus, ut non uere spiritũ Samuelis excitatum à requie sua credamus, sed aliquod phantasma et imaginariam illusionẽ, diaboli machinationibus factam: quã propterea

Mat. 26. et. 27.

scriptura

ſcriptura nomine Samuelis appellat, quia ſolent imagines earum rerum nominibus apellari, quarum imagines ſunt. Sicut omnia quæ pinguntur atq; finguntur ex aliqua materia metalli, aut ligni, uel cuiuſque rei aptæ ad opera huiuſmodi, quæ etiam uidentur in ſomnijs, et omnes fere imagines earũ rerũ, quarũ imagines ſunt, apellari nominibus ſolẽt. Quis enim eſt q̃ hoẽm pictũ dubitet uocare hominẽ? quando quidẽ et ſingulorũ quorũq; picturã cũ aſpicimus, propria quæq; nomina incũctãter adhibemus. Velut cũ intuẽtes tabulã aut parietẽ dicimus: ille Ciæro eſt, ille Saluſtius, ille Achilles, ille Hector, hoc flumen Simois, illa Roma: cũ aliud nihil ſint quã pictæ imagines. Vnde Cherubim cũ ſint cœleſtes uirtutes, ficta tamen ex metallo, quod imperauit deus, ſuper arcã teſtamenti, magnæ rei ſignificandæ gratia, non aliud quàm Cherubim, illa quoque figmenta uocitantur. Item quiſquis uidit ſomnium, non dicit, uidi imaginem Auguſtini, aut Simpliciani, ſed uidi Auguſtinum, aut Simplicianũ: cum eo tempore, quo tale aliquid uidit, nos ignoraremus. Vſque adeo manifeſtum eſt, non ipſos homines, ſed imagines eorum uideri. Et Pharao ſpicas ſe dixit uidiſſe in ſomnis, & boues, non ſpicarum aut boum imagines. Si igitur liquido conſtat, nominibus earum rerum, quarum imagines ſunt, eaſdem imagines appellari, non mi-

Exo. 25.

Gene. 41.

1.Reg.28 rum est quod scriptura dicit Samuelem uisum: etiam si forte imago Samuelis apparuit machinamento
1.Cor.11. eius qui transfigurat se uelut angelum lucis, & ministros suos uelut ministros iustitiæ. Iam uero si illud mouet quomodo et à maligno spiritu Sauli uera prædicta sint, potest & illud mirum uideri, quomodo dæ-
Matth.8. mones agnouerint Christum quē Iudæi non agnoscebant. Cum enim uult deus etiam per infimos infernosq; spiritus aliquem uera cognoscere, temporalia dumtaxat, atque ad istam mortalitatem pertinentia, facile est & non incongruum, ut omnipotens & iustus ad eorum pœnam quibus ista prædicantur, ut malum quod eis imēpdet antequàm ueniat, prænoscēdo patiantur, occulto apparatu mysteriorū suorum, etiam spiritibus talibus aliquid diuinationis impertiat, ut quod audiunt ab angelis, prænuntient hominibus. Tantum autem audiunt, quantum omnium dominus atq; moderator, uel iubet, uel sinit. Vnde etiā
Actu.16. spiritus Phytonicus in actibus Apostolorum adtestatur Paulo Apostolo, & Euangelista esse conatur. Miscent tamen isti fallacias, & uerum quod nosse potuerint, non docendi magis, quàm decipiendi fine prænuntiant. Et forte hoc est, quod eum illa imago
1.Reg.28 Samuelis Saulem prædiceret moriturū, dixit etiam secum futurum, quod utiq; falsum est. Magno quippe interuallo post mortem separari bonos à malis,

in Euan

in Euangelio legimus: cum dominus inter ſuperbũ illũ diuitem, cum iam apud inferos tormenta patere/tur, & illum, qui ad eius ianuam ulceroſus iacebat, iam in requie conſtitutũ, magnum chaos interiectũ eſſe teſtatur. Aut ſi propterea Samuel Sauli dixit: mecũ eris: ut nõ ad æqualitatẽ felicitatis, ſed ad pa-rem cõditionẽ mortis referatur, eo qđ uterq; homo fuerit, & uterq; mori potuerit, iamq; mortuus mortẽ uiuo p ænuntiabat. Perſpicit, quantũ opinor, prudentia tua ſecundũ utrunq; intellectum habere exitum illam lectionem, quæ non ſit contra fidem. Niſi forte profundiore & perplexiore inquiſitione, quæ uel uirium mearũ, uel temporis excedit anguſtias, inueniatur ad liquidum, uel poſſe, uel non poſſe animam humanam, cum ex hac uita emigrauerit, magicis carminibus euocatam uiuorũ apparere conſpectibus, etiam corporis liniamenta geſtantem, ut non ſolum uideri ualeat, ſed & agnoſci. Et ſi poteſt, utrum etiam iuſti anima, non quidem cogatur magicis ſacris, ſed dignetur oſtẽdi occultioribus myſterijs ſummæ legis obtemperans: ut ſi fieri non poſſe claruerit, non uterque ſenſus in huius ſcripturæ tractatione atque expoſitione admittatur. Sed illo excluſo, imaginaria ſimilitudo Samuelis diabolico ritu facta intelligatur. Sed quoniã ſiue illud fieri poſſit ſiue nõ poſſit, tamẽ fallacia ſatanæ atq; imaginũ

Luce. 16.

1. Reg. 28

simulandarũ callida operatio decipiendis humanis sensibus multiformis inuigilat. Hæc diximus, pedetentim quidẽ, ne inquisitionibus diligẽtioribus præscribamus. Sed tamen potius existimemus tale aliquid factũ à maligno spiritu phytonissæ illius ministerio, quãdiu nobis aliquid amplius excogitare atq; explicare non datur. Hæc sunt quæ tunc de Phytonissa & Samuële scripsi.

QVAESTIO VII.

SEPTIMA TVA propositio est, qualiter satisfaciendũ sit eis, qui dicũt Saram stuprum non effugisse, cum dicant Abimelech ab eius conuentione somnio esse reuocatum: & immissum in eius copulam Pharaonem, non uideo: cum ad hoc credendum
Genc.12. scriptura nos cogat. Accepit enim eã qdẽ uxorẽ, cõtinuoq; ditatus est Abrahã multis Aegyptiorũ muneribus propter illã. Sed nõ scriptũ est quod cum ea Pharao dormierit, eiq; pmixtus sit. Quoniam deus multis magnisq; eum cladibus affligendo id fieri non permisit. Non enim placitæ regibus ad coniugium fœminæ, mox etiam carne copulabantur: sed
Hester. 2 sicut legimus in libro qui prænotatur Hester, per dies quot menses, immo per totum annum, unguentis, pigmẽtis, & aromatibus, accurabantur earũ corpora, priusquam corpori regio miscerentur. Hoc ergo spa-

tio

tio facta sunt illa quæ scripta sunt, donec Pharao contritus & exterritus, marito restituisset uxorem: Abimelech autem, quoniam somnio est ab eius commixtione prohibitus, ideoq; Saram nouisse stuprum contendunt, putant utiq; regem ut somniaret, non nisi post eius concubitū dormire potuisse. Quasi uero, ut omittā tempus quo acarabātur, ut supra dixi, ad uoluptatem regiam corpora fœminarum, nō potuit deus priusquā conuenirent eum mergere in somno, & admonere per somnium. Dicam quod factum est in Mauritania Siciensi. Neque enim deus sanctorum, non ipse est etiam deus? Viduam in proposito continentiæ constitutam, Celcichius quidam Catheaminus iuuenis rapuit, ut haberet uxorē. Antequam conamberent pressus somno, et territus somnio, Siäfensi episcopo eandē uehementissime requirenti, reuocauit intactam. Viuunt adhuc de quibus loquor. Ille baptizatus, & ipso in se facto miraculo conuersus ad dominum, ad episcopatum mirabili probitate perucnit: illa in sancta uiduitate persistit. Quid autē dixerim contra Faustum Manicheū, cum calumniaretur patri Abrahæ, quod uxorē suam duobus regibus ad concubitū uēditasset, indignansq; subieci: Quod autem iustum, inquam, ac fidelem uirum matrimonij sui infamosissimum nundinatorem appellans, auaritia ac uentris causa, duobus regi- Gen. 20.

Gene.12. et.20. bus Abimelech ac Pharaoni, diuersis temporibus Saram coniugem suam, sororem mentitum, quae erat pulcherrima, in concubitū asserit uēditasse, nō ore ueridico à turpitudine seperat honestatē: sed ore maledico totū uertit in crimē. Hoc enim Abrahae factū, lenocinio simile uidetur, sed nō ualētibus ex illius æternæ legis lumine à peccatis recte facta discernere, qbus et cōstantia, ptinacia uideri potest: et uirtus fiduciæ, uitiū putatur audaciæ. Et quæcūq; similiter obijciūtur, quasi nō recte agentibus, à nō recte cernētibus. Neq; enim Abrahā flagitio cōsensit uxoris, ciusq; uēdidit adulteriū, sed sicut illa famulā suā non libidini mariti permisit, sed officio generandi ultro obtulit, nequaquam turbato ordine naturali, ubi eius potestas erat, iubens potius obedīeti, quàm cedens cōcupiscenti: sic & ipse coniugem castam, et casto corde sibi cohærentē: de cuius animo, ubi pudicitiæ uirtus habitat, nullo modo dubitabat, tacuit uxorē, dixit sororē: ne sc occiso, ab alienigenis atq; impijs captiua possideretur: certus de deo suo, quod nihil eam turpe ac flagitio sum perpeti sineret. Nec eū fides aut spes fefellit. Nanq; Pharao territus monstris, multisq; propter eam malis afflictus, ubi eius esse uxorem diuinitus didicit, inlæsam cum honore restituit. Abimelech autem somnio commonitus, & edoctus similiter fecit.

Quæstio

QVAESTIO VIII.

NOVISSIME exponendū poſcis de ſpiritu dei, qui ſuperferebatur ſuper aquam. Quidā enim aſſerunt inquis, ſpiritum ſanctum, alij mundanum ſpiritum dicunt: dicētes, quia non potuit hiſtoriographus cum creaturis enumerare creatorē, nec huic locum aliquē deputare, qui ubiq; ſit totus, cū patre uidelicet atq; filio. Quid ego iſtorum ſenſerim, ex primo libro eorū, quos de Geneſi duodecim, ſicut potui, non ſecundū allegorias, ſed ſecundū rerum geſtarū fidē ſcripſi, & in hoc opuſculū tranſtuli. Ineſt, inquam, deo benignitas ſumma, & ſancta, & iuſta, & quidā non ex indigentia, ſed ex beneficentia ueniens amor in opera ſua. propterea prius quàm ſcriberetur: dixit deus: fiat lux: præceſſit ſcriptura dicens: Et ſpiritus dei ſuperferebatur ſuper aquā. Quia ſiue aquæ nomine appellare uoluit totam corporalē materiā, ut eo modo inſinuaret unde facta & formata ſint omnia, quæ in ſuis generibus iā dinoſcere poßumus, appellans aquam, quia ex humida natura uidemus omnia in terra per ſpecies uarias formari atq; cōcreſcere: ſiue ſpiritalē uitā quandam ante formam conuerſionis quaſi fluitantē. Superferebatur utiq; ſpiritus dei, quia ſubiacebat ſcilicet boni uolūtati creatoris, quidquid erat quod formandum perficiendūq; inchoauerat; Gene. 1.

inchoauerat: ut dicente deo in uerbo suo: fiat lux, in bona uoluntate, hoc est in beneplacito eius, pro modo sui generis maneret quod factum est. Et ideo rectum est quod placuerit deo, scriptura dicente: Et facta est lux. Et uidit deus lucem quia bona est. Vt quemadmodum in ipso exordio inchoatæ creaturæ, quæ ex cœli et terræ nomine, propter hoc, qd' de illis perficiendum erat, cõmemorata est, trinitas insinuatur creatoris. Nam dicente scriptura; In principio fecit deus cœlum & terram, intelligimus patrem in dei nomine, & filium in principij nomine: qui nõ patri, sed per seipsum creatæ primitus ac potißimũ spiritalis creaturæ, & cõsequenter etiã uniuersæ creaturæ principium est. Dicente autem scriptura: Spiritus dei ferebatur super aquam, completam commemorationem trinitatis agnoscimus: ita & in conuersione atq; perfectione creaturæ, ut rerum species digerantur, eadem trinitas insinuatur, uerbũ dei scilicet, & uerbi generator, cum dicitur: Dixit deus, & sancta bonitas in qua deo placet, quicquid ei pro suæ naturæ modulo perfectum placet, cum dicitur: Vidit deus quia bonum est. Sed cur commemorata prius quamuis imperfecta creatura, postea commemoratur spiritus dei, prius dicẽte scriptura: Terra autem erat inuisibilis & incomposita, & tenebræ erant super abyssum: ac deinde inferente: Et spiritus dei ferebatur

rebatur ſuper aquã? An quoniam egenus atq; indignus amor, ita diligit, ut rebus quas diligit ſubijcatur, ꝓpterea cũ cõmemoraretur ſpiritus dei, in quo ſancta eius beneuolẽtia dilectioq; ĩtelligitur, ſuperferri dictus eſt, ne faciendo opera ſua per indigentiæ neceſſitatem potius, quàm per abundantiam beneficentiæ deus amare putaretur. Cuius rei memor Apoſtolus dicturus de charitate, ſupereminentem uiam demonſtraturum ſe ait. Et alio loco: Supereminentem, inquit, ſcĩentiæ charitatem Chriſti. Cum ergo ſic oporteret inſinuare ſpiritum dei ut ſuperferri diceretur, cõmodius factum eſt ut prius inſinuaretur aliquid inchoatum, cui ſuperferri diceretur: non enim loco, ſed omnia ſuperante ac præcellente potentia. 1. Cor. 12. Ephe. 3.

QVAESTIO V.

IAM NVNC illud quod reddendum diſtulerã, pauliſper intẽde. Quæris enim quare dixerit dominus, nimirum præſcius futurorum: Elegi Dauid ſecundum cor meum: cum talia & tanta homo ipſe commiſerit? Quod quidem ſi de ipſo Dauid, qui reprobato Saule & extincto, fuit rex Iſraël, dictũ intelligamus, magis, quia deus præſcius fuuturorũ eſt, præuidit in eo tantam pietatem, tamque ueracem pœnitentiam, ut eſſet in eorum numero de quibus Act. 13.

ipſe

Psal. 31. ipse dicit: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus uir cui non imputauit dominus peccatū. Cum ergo præsciret eum deinceps peccaturū, & peccatū sua pia humilitate, & sincera pœnitentia deleturum, cur non diceret: Inueni Dauid secundum cor meum, cui non erat imputaturus peccatum, tam multa bona faciēti, & cum tanta pietate uiuenti, & ipsa pietate pro peccatis suis sacrificium contriti spiritus offerenti? Propter hæc omnia uerissime dictū est: Inueni Dauid secundū cor meū. Quia licet secundum cor dei non esset quod ille peccauit, tamen secundum cor dei fuit, quod pro peccatis suis congrua pœnitentia satisfecit. Hoc solum ergo in illo secundum cor dei non fuit, quod illi deus non imputauit. Hoc itaque ablato, id est, non imputato, quid remansit, nisi unde uerissime diceretur: Inueni Dauid secundum cor meū? Si autem hoc prophetice dictum, de Christo uelimus accipere, nullus nodus quæstionis occurret, nisi forte ut quæratur à nobis quomodo Christum recte isto nomine uocare potuerit. Sed respondemus, propter semen Dauid, ex quo carnem Christus assumpsit. Nec sine exemplo rationem huius in Christo nominis reddimus. Inuenimus quippe apertissime Christū Iesum apud Prophetā Ezechielē Dauid esse appellatū, ubi legitur ex persona dei patris: Et suscitabo super pecora

Christus appellatus Dauid.

Ezec. 34

mea

mea pastorem unũ qui pascat ea, seruum meum Da
uid, & ipse pascet ea, & ipse erit his in pastorem,
ego aũt dominus ero eis in deũ, & seruus meus Da
uid princeps in medio eorum. Ego dominus locutus
sum. Et alio loco: Et rex, inquit, unus erit omnibus Ezec. 37
imperans, & non erũt ultra duæ gẽtes, nec diuiden-
tur amplius ĩ duo regna, neq; polluẽtur ultra in ido
lis suis & abominationibus suis, & in cũctis iniqta
tibus suis, et saluos eos faciã de uniuersis sedibus su-
is, in qbus peccauerũt, & mũdabo eos, & erũ mihi
populus, & ego ero eis deus, et seruus meus rex Da
uid super eos, & pastor unus erit omnium eorum.
Osee quoq; propheta cũ pronuntiaret tẽpus Iudæo
rũ, quale nũc habent, in Christũ eos postea creditu-
ros, eundẽ Christum Dauid nomine prophetauit di-
cens: Quoniã diebus multis sedebũt filij Israël sine Osee. 3.
rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine sa-
cerdotio, sine manifestationibus. Siaut nũc esse Iudæ-
os ambigit nemo, sed quod ait apostolus Paulus gen
tibus loquens: Siaut enim uos aliquando non credi- Rom. ii.
distis deo, nunc autem misericordiam consecuti
estis, propter incredulitatem illorum: ita et isti nunc
non crediderunt in uestram misericordiam, ut &
ipsi misericordiam cõsequantur. Hoc propheta iste
tãto ante prædicẽs sequutus adiunxit: Et postea re- Osee. 3.
uertẽtur filij Israël & inquirent dominũ deũ suũ, et

Dauid

Dauid regē ſuū, & ſtupeſcēt in domino et in bonis ipſius in nouiſſimis diebus. Ecce et hic p Dauid nonne prophetatus eſt Chriſtus, quoniam quando iſta prophetabantur, ille Dauid rex Iſrael iam olim anū dormierat. Dominus autem Ieſus ex eius ſemine fuerat in carne uenturus, propter quod prophetico loquendi modo appellabatur Dauid. Videtur aūt Apoſtolus hoc teſtimonium ita poſuiſſe in actibus Apoſtolorū, ut non niſi de illo rege Dauid, qui Sauli ſuc-
Act. 13. ceſſit poſſit intelligi. Nam inter cætera: exinde, inquit, poſtulauerunt regem, & dedit illis deus Saul filium Cis, uirum de tribu Beniamin, annis. 40. Et amoto illo, ſuſcitauit illis Dauid regem, cui & teſtimonium perhibens dixit: Inueni Dauid filium Ieſſe, uirum ſecundum cor meum, qui faciet omnes uoluntates meas. Sed quando ſecutus adiungit & dicit: Huius deus ex ſemine ſecundū promiſſionē adduxit Iſraēl ſaluatorē Ieſum, altius ſignificauit in domino Ieſu potius eſſe intelligendum illud teſtimonū, qui uere facit omnes uoluntates dei patris, quàm in illo rege Dauid, qui licet ſecundū ſuperiorem diſputationem remiſſis peccatis, propter ipſam quoque piam patientiam, non immerito dici poſſit inuentus ſecundum cor dei: tamen omnes uoluntates dei quomodo fecit? qui cū excellentiſſime laudaretur quando eius tempora & facta ſcriptura narrauit, notatus eſt

tus est tamen quod non destruxit excelsa ubi sacrifi/
cabat populus dei contra præceptum dei, qui tantũ/
modo in tabernaculo testimonij sibi sacrificari iusse/
rat: quamuis etiam in eisdem excelsis eidem sacrifica/
retur deo. Quæ postmodũ exœlsa ex ipsius Dauid se/
mine propagatus Rex Ezechias, cũ testimonio ma/
gnę suæ laudis euertit. Sicut potui respondi inquisiti
onibus tuis. Si quid de his rebus melius inueniſti, si=
ue inuenire potueris, gratissimum habebimus si nos
feceris nosse. Ego enim, quod & supra de me comme
moraui, magis amo discere quàm docere.

Libri de Octo Quæstionibus Dulcitij Finis.

INCIPIT

DE PRAEDESTINATIONE DI/ SPVTATIO AVGVSTINI.

HYPOGNOSTICON SEXTVS.

ADDERE ETIAM hoc quàm maxime huic operi opor tet: ut & uestra calumnia, quã obijcere nobis soletis, per illu minationem gratiæ saluatoris reuincatur, immo cõfutetur: et nostræ fidei integritas cõprobetur. Credere nos quip

pe uel prædicare ſuggillatis, quia cum lege dei et prophetis, cum Euangelio Chriſti eiuſq; Apoſtolis prædeſtinationē dicimus, eo quod deus quoſdā hominū ſic prædeſtinet ad uitam regni cœlorū, ut ſi nolint orare, aut ieiunare, aut in omni opere diuino uigilare eſſe, eos omnino pertre nō poſſe: nec prorſus debeant ſui eſſe ſollicitos, quos deus, quia uoluit, ſemel iā elegēdo prædeſtinauit ad uitā. Quoſdam uero ſic prædeſtinauit in gehennæ pœnam, ut etiam ſi credere uelint, ſi ieiunijs, orationibus, omniq; ſe uoluntati diuinæ ſubiecerint, in his deum non delectari, & uitā illis æternam in toto dari nō poſſe, ſic electione prædeſtinatos eſſe ut pereant: deū nos taliter operārum perſonarū eſſe acceptorē dicere. Nō miramur uos de nobis, id eſt, homines de hominibus falſa poſſe confingere, cum uideamus uos ſic à diabolo eſſe falſatos, ut ſcripturas ſanctas & ueridicas ad uoluntatis ueſtræ intellectū mutare nitamini, fidem Chriſti Apoſtolorū prædicatione fundatā euertere, falſum dogma ueſtrū antæponere ueritati. Hinc eſt utiq; ut nō poſſitis agnoſcere ueritatem. Immo hinc eſt ut corrupti & abominabiles facti ſitis in uoluntatibus ueſtris. Inclinate igitur aliquantulum patienter aurem cordis ueſtri, & qualiter myſterium prædeſtinationis credamus, qualiter uc prædicemus audite. Animoſitatem etiam cōtradicendi diuinis eloquijs deponite. Poteſtis enim

Pal. 13.

dono

dono dei ueritatem facile reperire uel agnoscere, si contentiosi disciplinæ silentio esse destiteritis. Prius ergo ipsum nomen prædestinationis quid indicet exponamus: Deinde esse apud deum, qui sine acceptione personarum est, prædestinationē, diuinarum scripturarū authoritate probabimus. Prædestinatio quippe à præuidendo & præueniendo uel præordinando futurum aliquid dicitur. Et ideo deus, cui præscientia non accidens est, sed essentia fuit semper & est, quia quicquid antequam sit, præscit, prædestinat: & propterea prædestinat, quia quale futurū sit præscit. Ideo & Apostolus: Nā quos præsciuit, inquit, et prædestinauit, sed non omne quod præscit, prædestinat. Mala enim tantū præscit, et nō prædestinat: bona uero et præsāt et prædestinat. Quod ergo bonū est præscientia prædestinat, id est, prius quàm sit in re præordinat: hoc cum ipso authore esse ceperit, uocat, ordinat, & disponit. Vnde & sequitur: Nā quos prædestinauit, hos et uocauit: & quos uocauit, illos et iustificauit: quos autē iustificauit, illos et glorificauit. Iā igitur apertius disseramus quod loquimur, quomodo erga humanū genus præscientia sua et prædestinatione deus generaliter in quo non est iniquitas utatur. Massæ itaq; humani generis quæ in Adā et Eua præuaricatione dānabilis mortalisq; facta est, nō cōditione diuina generaliter, sed ex debito pœna, cruciatusq; Rom. 8.

gehennæ debetur. Venia uero non merito, sed dei iu
sti iudicis misericordiæ largitate cõfertur. Quia uta
ro iustus & misericors deus præsciusq; futurorũ, ex
hac damnabili massa, non personarũ acceptione, sed
iudicio æquitatis suæ imreprehensibili, quos præsci
misericordia gratuita præparat, id est, prædestinat
ad æternã uitã. Cæteros autẽ pœna, ut prædixi, debi
punit. Quos ideo punit, quia quid essent futuri præ
sciuit. Nõ tamen puniendos ipse fecit uel prædestina
uit, sed tamen, ut dixi, in damnabili massa præsciui.
Quod si à me scire quæris, cur duo ita differenter
deus faciat, si personarum acceptor nõ est, quia ge
neraliter aut punire debet iustitia, aut misericor
dia liberare, contende cum Paulo, immo si audes,
Roma.9. argue Paulum, qui dixit Christo in se loquente: ó ho
mo tu quis es, qui respondeas deo? Numquid dicit fi
gmentũ ei qui se finxit, ut quid me sic feciſti? An nõ
habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere,
aliud quidẽ uas in honorẽ, aliud uero in contumeli
am? Ego autẽ hoc dico qđ dixi, quia quicquid deus
agit, misericorditer, iuste, sancteq; facit: quia solus ip
Rom.11. se præsciendo scit quod homo nesciẽdo nescit. Quis
enim cognouit sensum domini? quis instruxit eũ? aut
quis consiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi &
retribuetur ei? aut quis dicit ei quid feciſti? Non po
test tantũ iustus dici deus, aut solũ misericors, sed iu

stus &

ſius & miſericors. Sic legimus, ſic credimus. Propte Pſal.100.
rea quando illi cũ Dauid miſericordiã et iudiciũ can
tamus, cantamus metuentes, nõ interrogamus quæ ſit
uoluntas eius, de iudicio & miſericordia cõquiren=
tes. Quod ſi adhuc animo ſitati tuæ, qua cõtentionis
curru raptus per quæſtionũ campos inanis efferreris,
hæc minime reſponſa ſufficiunt. Audi et alia, quæ de Rom 11.
altitudine diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ dei, expa
uentes incõprehenſibilia iudicia eius, & inueſtigabi-
les uias ipſius, ſolã tantũ fidei conſiderationẽ profe-
rimus. Quia ſi ſcrutari uoluerimus ſecretũ dei, qd' iu
ſtitiæ ipſius ſolius notũ eſt, comprehendere non uale
mus. Et impletur in nobis quod ſcriptũ eſt: Deficerũt Pſal.63.
ſcrutantes ſcrutinio. Quare? quia accẽdit, inquit, ho-
mo ad cor altũ, & exaltabitur deus. Sed forte cũ ſitis
reprehenſibiles, iudiciorũ dei eſſe uos cõprehenſibi-
les iactitatis, melius ſcilicet deo placentes, quàm Pau-
lus apoſtolus, qui eſſe incõprehenſibilia per ſpiritũ
ſanctũ eius iudicia prædicauit. Perpendite itaq; quo
iudicio, dictum eſt à Paulo, & barnaba, prædicanti-
bus uerbũ dei in Lyſtris. In præteritis generationibus Actu.14.
dimiſit omnes gentes ingredi uias ſuas, ut in idola-
tria ſimulacrorũ perirent, et unã tantũ gentẽ, id eſt,
Iacob, elegit ſibi dominus, & Iſrael in poſſeſſionem
ſibi. Cui ſoli utiq; legẽ ad cognoſcendũ ſe, poſt poſi-
tis, ut dixi, cæteris generatiõibus, dedit: uel cur iterũ

amissio facta est Iudæorum, ut mundi fieret reco-
Roma.11. ciliatio, id est, omniū gentium, sicut dicit Apostolus: Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi, quæ assumptio, nisi uita ex mortuis? Quasi impossibile esset deo omnipotenti, uno tempore uniuerso mundo legē dare, salutē gratiæ Christi cōferre, uel ut ita dicā, ab initio lapsus Adæ, id agere quod diuersitate temporū fieri eius arbitrio sedit. Docete etiā quare misso à spiritu sancto Paulo & Barnaba portare nomē domini salutis causa in Gētibus, cū transirēt prædicātes Phrygiam et Galatiæ regionē, uetiti sunt à spiritu sancto
Actu.16. loquerbū dei in Asia. Et cū uenissēt in Mysiam, nolētes ire in Bithyniā, nō permisit eos, inquit, spiritus Iesu. Sciebat, inquies, deus, quia crediturī nō essent, & ideo non eos ire permisit ad loquendū uerbū dei.
Roma.4. Stulte, deus est q iustificat impiū, nō præuētus humana uolūtate, sed ipse præueniēs hominis uoluntatē misericordia sua: Deus enim, inquit, meus, misericordia
Psal.58. eius præueniet me. Audi et aliū prophetā loquētem:
Hiere.17 Cōuerte me domine et cōuertar, sana me domine et sanabor. Vnde et Apostolus. Iustificati, inq̄t, gratis per
Roma.3. gratiā ipsius, p redemptionē quæ est in Christo Iesu. Audi, gratis, et tace de meritis. Nónne prohibitio ista sancti spiritus, aliud ostēdit quàm uerbū domini Iesu dicētis in Euāgelio: Spiritus ubi uult spirat. Hinc
Ioan.3. cogita, hinc pande aliquid, quare spirat ubi uult, & nō ubiq;. Dicite etiam quare prædicātibus prædictis

Paulo

Paulo et Barnaba apud Antiochiam Pisidiæ Iudæis ac Gentibus salutē, nullus credidit, nisi quos exin- Act. 13.
de dominus præordinauit ut crederent. Sic enim de
ipsis pagina sancta testatur: Et crediderunt, inquit, Ibidem.
quotquot erant præordinati ad uitā æternā, hoc est,
prædestinati. Ecce in ōibus quæ ex autho itate diui-
na protulimus, habes misericordiā & iudiciū, et ær
tum est, quia personarum acceptor non est deus, nec Rom. 2.
cuiusquā personā reuereatur. Descende ergo si uales
in profundū misericordiæ dei, ascēde si sufficis in alti
tudinē iustitiæ iudicij eius. Distēdere ī lōgitudinē et
latitudinē inuestigabiliū uiarū eius. Et si liquido pe
neetraueris hæc, nobis tam metuēda & incōprehensi
bilia secreta, de quibus Paulus expauit, ipe intre-
pidus pande. Si autē, ut superius dixi, iactatus cur
ru inanium quæstionum, cadis in fluctus uanæ con-
tentionis, & ueluti nauis deserta gubernaculo, per
diuersa & incognita littora uolucris, nec prorsus
ibi prospere nauigare potes, reuertere & sede in
portu fidei catholicæ, ubi te nulla possit fluctuosæ cu
riositatis tēpestas turbare uel mergere. Quī tūlibet
enī scire coneris, iudicia dei cōprehēdere nō uales
nec ualebis. Quia sicut nemo scit hominū quæ sunt
hominis, nisi spiritus qui in ipso est: ita & quæ
dei sunt, nemo sāt nisi spiritus dei. Si qua ergo attin
gere ualuerimus, non nostra solertia, sed dono sancti

ſpiritus reuelata eſſe debemus agnoſcere. Si autẽ ſá
re non datur quod ſupra nos eſt, nec à noſtra puſilla
Eccl'á.3. nimitate quæratur. Præceptum eſt enim à ſcriptu-
ra ſancta: altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne
Ro.ii. ſcrutatus fueris in uanitate: &, altũ ſapere noli, ſed
time. Timendũ eſt prorſus, et uenerandũ profundũ
dei, quod nos rite fatemur inueſtigare non poſſe,
Sapi.ii. Omnia, inquit, in menſura & numero & pondere
conſtituiſti domine. Quis igitur hãc menſurã, hũc
numerum, & hoc pondus dei ſufficit comprehende-
re, ut conſtitutiones eius uniuerſas in his tribus de-
finitionibus ualeat enarrare? In menſura puto
quod conſtet æqualitas, in numero quantitas, in
pondere ratio peræquata. Sed hæc tria, id eſt, qua-
litas & quantitas & ratio peræquata, in iudicio
& miſericordia dei conſtant. Quia in his duobus
terminis ſanctis concluſa ſunt, in quibus per hæc
mundum conſtituit, gubernat, & iudicaturus eſt. In
his deus iudex iuſtus comprehendi non poteſt, non
poteſt reprehendi. Omnia ergo quæ ſuperius dixi-
mus uel dicemus, in clauſtro horum triũ nobis nunc
abſcondita latent, quæ ſolis clauibus iudicij & miſe-
ricordiæ dei, tunc reſerabuntur ut ſciantur, quando
in aduentu domini inluminabuntur abſcondita tene-
1. Cor. 4. brarum, & reuelabuntur conſilia cordiũ, ut ſit laus
unicuiq; à deo uel pœna. Oportet igitur ut ad ea,

quæ

quæ superius disputare cepimus, reuertamur. Dixi/
mus nanq; de damnabili humani generis massa deũ
præscisse misericordia, & non meritis, quos electio/
ne gratiæ prædestinauit ad uitam. Cæteros uero qui
iudicio iustitiæ eius ab hac gratia efficiuntur exper
tes, præscisse tantum uitio proprio perituros, non ut
perirẽt prædestinasse. Sed, ut dixi, quos in opera im
pietatis et mortis præsciuit, nõ præordinauit nec im
pulit, in quibus deum ad iracundiam prouocantes,
salutis fidẽ, aut prædicatã sibi accipe nolũt, aut deo
iudice nõ possunt, uel acœptã male utũtur. Et ob hoc
tradũtur in reprobũ sensum, ut faciãt ea quæ nõ con Rom. 1.
ueniunt. His pœnam prædestinatã esse rite fatemur;
quod ut probare ualeamus, solum reor in exemplum
sufficere Iudam. Hunc enim deus cũ præscisset in ui
tijs propriæ uoluntatis pessimum fore, id est, elec=
tione discipulatus sui bene à Christo conferenda ma
le usurum, & auaritia ardentem, precio Iudæis do/
minum traditurum, pœnam ei prædestinauit ex me/
rito: Dicente per Dauid spiritu sancto: Deus laudem Psal. 108
meã ne tacueris, qa os peccatoris et dolosi super me
apertũ est, idest, Iudæ uel Iudæorũ in Christum. In/
de, cũ dicit: Quid uultis mihi dare et ego uobis eum Mat. 26.
tradam? Et post pecuniæ sponsionẽ dans signũ tra=
ditionis: Quemcũq;, inquit, osculatus fuero, ipse est
tenete eum. Ideo super me ait apertũ est, Cum enim

ſignum dedit, orc doloſo aperuit quem tenerent. Iu-
dæi quoque, cum eum uolentes dolo perdere, ut
Ioan.19. Euangelium pandit, clamauerunt dicentes: Crucifi-
Pſal.108. ge crucifige eum. Et poſt puſillum ſequitur: Conſti-
tuc ſuper eum peccatorẽ, id eſt, ſuper Iudam, & dia-
bolus ſtet à dextris eius. Cũ iudicatur, exeat condem-
natus, & oratio eius fiat in peccatum. Fiant dies
eius pauci, & epiſcopatum eius accipiat alter. Et
poſt cætera quæ de eo ſequũtur. Pro eo, inquit, quod
non ſit recordatus facere miſericordiã: et perſecu-
tus eſt hominem pauperem & egenum, & compun-
ctum corde morti tradidit: et ſequentia reliqua quæ
in eius prædicta ſunt perſona. Nam ſicut narrat li-
ber actuum Apoſtolorum de eo prædicta & in ipſo
cõpleta eſſe, ſanctus probat Apoſtolus Petrus, cum
loco eius unum ex his qui cum Apoſtolis cõgregati
erant propter teſtimoniũ reſurrectionis Ieſu Chriſti,
Act.1. ſubrogari oportere denũtiat dicẽs: Viri fratres opor-
tet impleri ſcripturã, quã præfixit ſpiritus ſanctus
per os Dauid, de Iuda, qui fuit dux eorum qui com-
prehenderũt Ieſum, qui cõnumeratus erat in nobis,
& ſortitus eſt ſortem miniſterij huius. Et hic quidẽ
poſſedit agrũ de mercede iniquitatis, & ſuſpenſus
crepuit medius, & effuſa ſunt omnia uiſcera eius.
Notũ autem factum eſt omnibus habitantibus Hie-
ruſalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum
Achel

Acheldamach, hoc est, ager sanguinis. Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat cōmoratio eius deserta, & nō sit qui inhabitet in ea, & episcopatum eius accipiat alter. Et post pauca sequentia: statuerūt, inqt, duos, Ioseph q uocabatur Barsabas, qui cognominabatur iustus, et Mathiā, & orātes dixerūt: Tu domine qui corda hominum nosti, ostende quem elegeris ex his duobus, unum accipere locum ministerij huius, & Apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas ut abiret in locum suum, et cætera. Vbi ergo commemoratio operum eius malorum à sancto fit spiritu in Psalmis, priusquam esset, præscitus est: non factus, quod talis aduersus filiū dei futurus esset. Si enī factus esset, inculpabilis esset, et dei opificio reputaretur nō Iudæ. Iniuste etiā in eum prolata damnatio esset. Sed absit hoc à summo bono iudice, authore omniū bonorū deo: damnatore uero cūctorum malorū. Quia mala Iudæ, ut prædixi, præsciuit, nō fecit. Et tamē in qbus præsciuit, iudicio iusto tradens eū in reprobū sensum, ut implerct permisit: & ideo permisit: quia per spiritū sanctū perituru ante prædixit. Quia sicut Christū oportebat pati p Iudā, præcinente per prophetas spiritu sancto: ita oportebat perire Iudā eodē sancto spiritu prædicēte. De eo enī dictū est: Nemo periit nisi filius pditōis. Nā pœnam illi prædestinatā pro malis suis, in qbus, ut sæpe dixi,

Psal. 68.
Psal. 108
Act. 1.
Ioan. 17.

dixi, præscitus est tantum, nõ prædestinatus, illic plenè agnoscimus, ubi de eo dicitur ab Apostolo Petro:

Act. 1. Vt iret in locũ suum, translato sãlicet in alterum honore episcopatus eius: Vel certè ubi legitur quod damnatus sit antequã natus, secundũ id, quod disputatione prædiximus. Talis ergo perituroru omniũ causa est, licet culpa sit à culpa dissimilis. Verum autem esse quod diximus, licet plene sit disputatum, id est, perituris pœnam esse prædestinatam, audi Petrum Apostolum, cum futuros esse pseudoprophetas et magistros mendaces, et apostatas in ecclesia dicit, sicut

2. Pe. 2. fuerũt in populo ueteri: Quibus iudiciũ, inquit, iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat. Item Iudas Apostolus, Subintroierunt, ait, quidã homines qui olim præscripti sunt in hoc iudicium impij, gratiam domini nostri transferentes in luxuriã, & solum dominatorem, & dominum Iesum Christum negantes. Et dominus in Euangelio peccatoribus: Ite in ignem æternũ, quẽ præparauit pater meus

Matt. 25. diabolo & angelis eius. Prædestinatis autem: Venite benedicti patris mei, percipite regnum paratum uobis ab origine mundi, id est, prædestinatum. Tenenda est igitur incõaussæ huius disputatiõis ratio, quæ diuinis testimonijs claruit, peccatores in malis proprijs, antea quàm essent in mundo, præscitos esse tantum, nõ prædestinatos; pœnã enim eis esse prædestinatam

destinatã secundũ qđ præsciti sunt. Paruulos quoq; non renatos ex aqua & spiritu sancto prædestinatæ pœnæ esse obnoxios, qui præsciti sunt nõ proprijs uo lũtatibus, quorũ nullæ uel bonæ uel malæ sunt, nisi tantũ in Adæ peccato, quod traxere nascentes, & in hoc manẽtes, soluerunt tẽpus uitæ præsentis. Quid enim iudicium iustitiæ de his faciat, quibus misericordia non subuenit? Qui pura fide credit, dicente domino: Qui non manducat carnem meam, & non bibit sanguinem meum, non habebit in se uitam, intelligit, & à contentione recedit. Qui uero secundũ propositum dei uiuunt præscitos esse & prædestinatos electione gratuitæ gratiæ eius, & regnum eis cœlorum esse prædestinatum, sine dubitatione dicendũ est. Hoc enim Apostolus Paulus probat, cũ ante eos prædestinatos & electos esse testatur, quàm mundus constitueretur. Scribens enim Ephesijs dicit: Si aut elegit nos in ipso, id est, in Christo, ante mũdi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate, qui prædestinauit nos in adoptionem filiorũ per Iesum Christũ in ipsum. Taceat humana ligua, nec prorsus in prædestinatione de meritis extollatur. Attendat dictum, ante cõstitutionem mũdi. Diuinæ uoluntatis est hoc donum, nõ humanæ fragilitatis meritũ. Deniq; attẽde quid sequatur: In quo habemus, ait, redemptionem per sanguinem

Ioan. 6.

Ephe. 1.

nem eius in remißionem peccatorum, ſecundū diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis, in omni ſapiētia & prudentia, ut notum faceret nobis ſacramentum uoluntatis ſuæ ſecundum beneplacitū eius, quod propoſuit in eo in diſpenſationē plenitudinis temporū, inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis & quæ in terra ſunt in ipſo. In quo etiam ſumus prædeſtinati ſecūdū propoſitū eius, qui omnia operatur ſecundū conſiliū uoluntatis ſuæ, ut ſimus in laudem gloriæ eius, qui ante ſperauimus in Chriſto. Audi ſecundū diuitias, inqt, gratiæ eius, quæ ſuperabūdauit in nobis, id eſt, qua præuenit nos, inqt, ut notū faceret nobis ſacramentū uoluntatis ſuæ. Audi, qui oīa operatur ſecundū conſiliū uolūtatis ſuæ, nunquid meæ, uel tuæ, aut alterius ut meritis conſtet? Abſit, ſed ſuæ: qua etiā in his, quos prædeſtinauit opera bonæ præparat uoluntatis, ut in his ambulent, ſecundū quod idem in eadē epiſtola dicit: Gratia enim eſtis ſaluati per fidē, & hoc non ex uobis, dei enim donum eſt, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipſius enim ſumus factura creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit deus, ut in illis ambulemus. Audi, in operibus bonis quæ præparauit deus. Et ſi quid te boni poſſe uides, age gratiæ præparanti quod potes, nō propriæ uoluntati. Quid omnino ſine illo nihil potes qui dixit: Sine me nihil poteſtis facere. Nolite itaq; putare, quod hæc & huiuſmodi

Ephe. 2.

Ioan. 15.

iuſmodi dicentes, liberũ uoluntatis amputemus arbitrium, cum tamẽ conſtet ea, quæ loquimur ex authoritate diuina pendere, uelut nobis calumniam obijcãtes, quod operari bona, & oportere eſſe in dei propoſito ſollicitos, prohibeamus. Quin potius qui ſe dono gratiæ ad dei miſericordiam ſentiunt peruenire, hortamur oportere incumbere orationibus, obſecrationibus, ieiunijs, uigilijs, omniq; operi uoluntatis diuinæ. Prædeſtinatis enim dicit Apoſtolus, cum tamen generale ſit quod illis dicitur à Chriſto prædeſtinato ſecundum carnẽ ex ſemine Dauid: prædeſtinante autem ſecundũ potentiã dei patris, cum patre et ſpiritu ſancto: Vigilate et orate ne intretis in tentationem. Item. Vigilate in omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta oĩa, quæ futura ſunt, & ſtare ante filiũ hominis. Item: Contendite intrare per anguſtam portã. Item: Vos amici mei eſtis ſi fœceritis quæ ego præcipio uobis. Et multa alia, quæ longum eſt enarrare. Sed ut ſupius memoraui, q eis dixit: Sine me nihil poteſtis facere, per ipſum, quæ iubentur, facere poſſũt. Huiuſmodi in Chriſto eſſe electos dei ait Apoſtolus, in quo & prædeſtinati ſunt ſecundũ propoſitũ eius q omnia operatur. Intellige dictũ, qui oĩa operatur, & crede opus eſſe dei, opa eorũ, q ambulant ſecundũ ꝓpoſitũ dei. Qui ergo abſq; prædeſtinatiõis gratia ſunt, ideſt, alieni à ꝓpoſito dei, et perdurant

Rom. 1.
Mat. 26.
Luce. 21.
Luce. 13.
Ioan. 15.
Ephe. 1.

durant in operibus malis, si etiã ex hac migrauerint uita, nõ eos dicimus (ut uos putatis) ita à deo omnium opificæ ordinatos ut perirẽt, tanquã ipse illis mores malæ uitæ creauerit, ipse ad omne opus mortis inuitos præcipitauerit. Psal. 5. Absit hoc à diuino propsito: Non enim uolens iniquitatem est deus, nec mãdauit cuiquam impie agere, nec alicui dedit laxamentũ peccandi. Fecit enim ut essent omnia, & sanabiles nationes orbis terrarum. Sapien. 1. & 2. Inuidia autem diaboli, mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur ergo illum qui sunt ex parte illius. Nec dicimus, ut fingitis, et si credere uelint, uel operibus bonis dei uacare, deum illis hæc nolle præstare, cum huiusce modi uelle dei sit donum. Si ergo ex deo est quod uolunt, uult deus perfectum fieri quod donauit. Si autem ex deo non est, sed est de iactantia propriæ uolũtatis, qua se meritis deum æstimant promereri, manifeste quod uolunt, capere non possunt: quia non uolentis, inquit Apostolus, neq; currentis, sed miserentis est dei: & Rom. 9. quia nõ potest homo à se facere quicquam, nisi datũ illi fuerit desuper. Ioan. 19. Non hoc agit deus summe bonus malicia, sed iustitia: nec personarum acceptione, sed causarũ secretarum discretione: Nouimus nonnunquam quosdam uolẽtes æternæ uitæ fidem accipere, & eam adipisci, quosdam autem nõ. Aliquos etiam nolentes consequi, cum in eis diuina gratia aut de-

derit uel immutauerit uoluntatem, aliquos non. Nouimus aliquos, etiam perfectos, ex labore multorum annorum prolapsos in ultimo uitæ suæ & periisse. Aliquos uero ab ineunte ætate sua, in omni scelere & damnabilitate, usq; ad decrepitã ætatem perdurasse, & repente cœlitus inspirata salute, raptos esse ad requiẽ regni cœlorum. Nouimus etiam paruulos, quibus usus liberi arbitrij non est, ut de bonis aut malis eorũ meritis iudicemus, parentum manibus ad gratiam sacri baptismatis deportatos: & cum in uno eorum per manus sacerdotis mysteriũ fidei adimpleretur, aliquoties alterũ in parentũ manibus factum exanimẽ, fraudatum gratia saluatoris. Quis sapiens & intelligens hæc? aut quis idoneus erit horum reddere rationem? Dicamus cũ Dauid: Iustus dominus in omnibus uijs suis, et sanctus in omnibus operibus suis. Et, quàm magnificata sunt opera tua domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Dicamus etiam cum Paulo: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiæ eius. Sed si adhuc hac redita ratione uultis esse contentiosi, nec adquiescere ueritati, nobis tamen, eo quod male de deo iusto ac misericordissimo sentiamus, calumniari desinite: sed ipsum potius dominum Iesum Christum, cuius Euangelium sequimur, si audetis, arguite: cum illo iurgium

Psal. 144
Psal. 91.
Rom. 11.

sumite litigandi: illi, quod ab sit, male sensisse de deo
Matt. 22. patre suo calūniamini, q̄ ait: Multi quidē uocati, pau
Ioan. 6. ci uero electi. Et, nemo potest uenire ad me, nisi pa-
Matt. 19. ter q̄ misit me traxerit eū. Et, nemo potest uenire ad
me, nisi datū ei fuerit à patre meo. Et, nō omnes ca
piūt uerbū hoc, nisi quibus datum est. Cætera etiam
1. Timo. 2 q̄plurima. Falsum est ergo, inquies, quod ait Apostolus de deo: Qui uult omnes homines saluos fieri, &
ad agnitionem ueritatis suæ uenire? Omnino non est
falsum: quia omne quod uult deus, facere potest, nec
prorsus humana uolūtate quod uult præpeditur. Sed
quæro à uobis ut dicatis, quare deus qui uult omnes
homines saluos fieri, quorundam, ut dicit Esaias pro
Esa. 6. pheta, & excæcat oculos ne uideant, et obdurat cor
da ne intelligant, ne cōuertantur & sanentur. Quod
Ioan. 12. uerū esse Euangelista Ioānes cōfirmat, dicens de Iu
dæis: Propterea nō poterāt credere, q̄a dixit Esaias:
Excæcauit oculos eorū, & indurauit cor eorū, ut nō
uideant oculis & intelligant corde, et conuertantur
& sanem eos. Itē in Euangelio secundū Marcū, cū
Matt. 4. Iesum interrogarent discipuli sui, de parabola semi
nis: Vobis, inquit, datū est nosse mysteriū regni dei,
illis autem qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt, ut
uidentes uideant & non uideant, & audientes audi
ant & non intelligant: ne quando conuertantur et di
mittātur eis peccata. Dicite igitur quare deus qui ac
ceptor personarum non est, & uult omnes homines

ſaluos fieri, aliquorum corda reſerat ad credendum, oculos illuminat ad uidendum, & ad ſciendum myſterium regni cœlorum, quo ſcilicet ſalui fieri poſſint. Aliorum uero, ut lectionis textus dixit, inuoluens in parabolis ueritatem, obtũdit cor, excæcat oculos, claudit aures, ne Euangelium ſalutis agnoſcãt, ne remiſſionem accipiant peccatorum. Dicite quæſo qualiter hæc loca Euãgelij accipitis. Doœte quid hic de deo, qui uult omnes homines ſoluos fieri, ſentitis. Ecce iam omnes generaliter ſalui nõ ſunt, cum alijs datur uiã noſſe ſalutis, alijs non datur. Hæc itaq; cum facit deus, nõ perſonarũ acceptione facit, nõ iniuſtitia, ſed iuſtitia inenarrabili, et miſericordia indebita. Quoniã uero hinc liqde utraq; pars dicere nihil uale mus, credamus tantũ reũ mortis ex iudicis uoluntate pendere. Ne quiſquã autẽ putaret diuino iudicio fieri nõ omnes homines ſaluari, dixit apoſtolus: qui uult omnes homines ſaluos fieri. Qua propter omnes homines qui ſaluantur, deo uolente ſaluãtur. Deus enim noſter, deus saluos faciendi, et domini dei exitus mortis: &, qa ira in furore eius, et uita in uoluntate ipſius. Intelligite itaque in furore iuſtitiam: in uoluntate miſericordiam. Prædeſtinationem igitur negare, quã apud deum eſſe breuiter probauimus, immanis blaſphemia eſt. Quam non tantum, ſicut ſoletis dicere, in Apoſtolis debemus accipere, ſed in patriarchis,

1. Timo. 2

Pſal. 67.

Pſal. 29.

& prophetis & martyribus, & confessoribus, in omnibus sanctis et digne seruientibus deo. Hinc nemo
2. Timo. 2 glorietur, nemo desperet. Solus enim dominus sait qui sunt eius. Inquantum autem possumus, omnes homines ad bonum opus exhortemur, nulli desperationem demus, pro inuicem oremus, in conspectu dei
Matt. 6. nos humiliemus, dicentes: Fiat uoluntas tua.

Ipsius erit potestatis, iudicium in nobis debitum mutare damnationis, et gratiam prædestinationis in debitam prærogare.

DISPVTATIONIS DIVI AVrelij Augustini de Prædestinatione, contra Pelagianos & Celestianos, Finis.

CApitulorum libri primi de Vocatione omnium gentium ſancti Ambroſij Epiſcopi, recœllecta annotatio.

De propoſitione quæſtionum quæ inter defenſores liberi arbitrij, & prædicatores gratiæ dei uertuntur: intentione quoq; authoris, ac tractandorum ordine, iuxta quem primitus de uoluntatis humanæ motibus & gradibus diſputandum eſt. De redargutione præterea quorundam non ſane inter uoluntatem & gratiam dei diſcernentium. 1

Quod omni humanæ uolũtati naturaliter qualiſcumque inſit uoluntas: & de diſtinctione uoluntatis in naturalem, animalem, & ſpiritalem. Quia etiam diuina prouidentia, quamuis electum ſibi populũ ſpecialibus ad pietatem direxerit inſtitutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis ſuæ dona ſubtraxerit. 2

De pulchra ac ſubtili huius quæſtionis tractatione: Vtrum cum bonæ uoluntatis homo eſſe incipit, eadem quæ in ipſo erat, corrigatur uoluntas: an alia ei quam nõ habebat, & quæ priori repugnet, detur. Quemadmodũ etiã cũ in diuinis ſcripturis ſalus generaliter omnibus hominibus promittitur, pro parte hominum omnes homines nominentur. 3

4 De ſolutione calumnioſæ obiectionis: qua quidã dicunt authorẽ per ſuperius dicta cõtradicere Apoſtolo definienti, quod deus uelit omnes homines ſaluos fieri, & in agnitionẽ ueritatis uenire. Et quod profunditas diuinitatis myſteriorũ atq; iudiciorum à nobis non ſit perquirenda.

5 Cur anterioribus ſeculis dimiſſæ ſint omnes gentes ingredi uias ſuas, uno tantum Iſraele excepto, & ad cognitionem ueritatis electo. Et quare deus uni homini det gratiam, alteri autem deneget.

6 Qualis ſit natura humana ſine gratia.

7 Cur ſaluator omnium hominum, non omnibus dederit hunc ſenſum ut cognoſcerent uerũ deum. Cur etiam quidam paruuli ſalui fiant renati, alij pereant non renati.

8 A quo fonte naſcatur fides, & unde habeatur ſpiritus fidei. Et quemadmodum hæc fides detur ſecundum menſuram pro arbitrio largientis.

9 Quod à domino deo omnia uirtutum dona dirigãtur & diſponãtur. Et quod omnia in manu eius ſint: quodq; deus ſit author omnis boni.

Diui

DIVI AMBROSII EPISCOPI DE VOCATIONE OMNIVM GENTIVM LIBER .I.

In quo dissoluit pugnam disputationis, quæ inter defensores liberi arbitrij, & prædicatores gratiæ dei agitur.

CAPVT .I.

NTER DEFENSOres liberi arbitrij, & prædicatores gratiæ dei, magna & difficilis dudũ quæritur quæstio. Quæritur enim: Vtrum uelit deus omnes homines saluos fieri? Et quia negari hoc non potest, cur uoluntas omnipotentis non impleatur, inquiritur. Cum quc hoc secundum uoluntates hominum fieri uideatur, gratia uidetur excludi: quæ si meritis redditur, cõstat eam non donũ esse, sed debitum. Vnde iterum quæritur: Cur hoc donum, sine quo nemo saluus est, ab eo, qui omnes saluari uult, non omnibus conferatur? Atq; ita contrariarum disputationum nullus terminus reperitur, dum non di-

ſcernitur quid manifeſtum, quid ſit occultũ. De hac igitur compugnantia opinionum, qua menſura & temperantia ſentiendum ſit, quantum dominus adiuuerit, annitar inquirere: exercens atq; diſcutiens modulum facultatis meæ in his quæ cordi meo ſobrie (quantum arbitror) inhæſerunt: ut ſi in eas regulas proceſſerit ſtilus, quæ nihil offenſionis, nihil habeãt prauitatis, non ſolum nobis, ſed & alijs utile ſit, ad aliquem nos limitem peruenisſe, quem non debeamus excedere. Primitus itaque de uoluntatis humanæ motibus & gradibus diſputandũ eſt. Inter quam & gratiam dei quorundam non ſana diſcretio eſt: exiſtimantiũ, quod prædicatiõe gratiæ liberũ negetur arbitrium: Nec aduertentium eadem regula ſibi poſſe obijci, quod gratiam negent, cum eam humanæ uoluntatis non ducem uolunt eſſe, ſed comitem. Si enim tollitur uoluntas, ubi ipſa eſt uerarũ origo uirtutum? Si tollitur gratia, ubi eſt ipſa bonorum cauſa meritorum?

CAPVT II.

SED IAM, auxiliãte Chriſto, quod tractando cõcepimus, inchoemus. Omni animæ humanæ, quantum intelligere atque experiri datur, naturaliter qualiſcunque ineſt uolũtas: qua aut appetitur quod placet,

placet, aut declinatur quod displicet. Huius uoluntatis (quantum ad naturalem pertinet motum, ex uitio primæ prævaricationis infirmum) genera sunt duo: secundum quæ uolũtas hominis, aut sensualis aut animalis est. Sed cum adest gratia dei, acœdit ei per donum spiritus tertium genus, ut possit fieri spiritalis: Et per hunc excellentiorem motũ, omnes affectus undecunq; nascentes, supernæ rationis lege dijudicet. Sensualis igitur uoluntas (quam & carnalem possumus dicere) non erigitur supra eum motũ, qui de corporis sensibus nascitur: qualis est in animis parvulorum. Qui licet nullo iudicio rationis utantur, ostendunt tamen aliquid se uelle, aliquid nolle: cum uidendo, audiendo, odorãdo, gustando, tangendo, & ea quibus delectantur, amant, & ea quibus offenduntur, oderunt. Quid autẽ est amare, nisi uelle? aut quid est odisse, nisi nolle? Habent ergo etiam ipsi uoluntatem suam: quæ etsi prouidendi & consulendi impos atq; ignara sit, in his tamẽ amat agere, quæ carnis sensibus blandiũtur, donec uigor rationalis ingenij per maturiora ministeria corporis exãtetur: & ad famulantium sibi membrorum usum, non alieno motu, sed sua lege moucatur. Ab hoc ergo sensuali appetitu, in quo remanent hi, quos etiam in annis maioribus excordes uidemus et fatuos, ad animalem surgitur uolũtatem: quæ priusquam spiritu

dei agatur, etiam si supra sensualẽ motũ sese attolle re potest, tamen sine sui amoris participatione in terrenis occiduisq; uersatur. In hac humana etiam ingenia, si corporeæ uoluptati non turpiter seruiant, & cupiditates suas iustitiæ atque honestatis legibus temperent, nihil supra mercedem gloriæ temporalis acquirunt. Et cum præsentem uitam decenter exornent, æternæ tamen beatitudinis præmium non habent, quia rectas actiones et bona studia sua, non ad eius laudem atq; honorem referunt, à quo acceperunt, ut in ipsa animali discretione sublimius saperent, & excellẽtius cæteris enitescerent. Cum enim quidam nõ solum ad instituta utilissimarum artium, & doctrinas liberalium disciplinarum, sed etiam ad
Rom. 1. inquisitionem summi boni aciem mentis intenderint, & inuisibilia dei per ea, quæ facta sunt intellecta cõspexerint, non agentes gratias tamen deo, nec cõfitentes illum sibi esse huius facultatis authorem, sed dicentes se esse sapientes, hoc est, non in deo, sed in semetipsis gloriantes, quasi ad ueritatis inspectionẽ, suis studijs atq; rationibus propinquassent, euanuerunt in cogitationibus suis. Et quod illuminante dei gratia inuenerãt, obcæcãte superbia, perdiderunt, relapsi à superna luce ad tenebras suas, hoc est, ab incommutabili atq; æterno bono ad mutabilem corruptibilemq; naturam. Cum ergo ta-

les in amorem sui recidunt, & ita sibimet placent, ut totum quod in se laudabile iudicant, non ad dona dei referãt, sed sibi uendicent, & studio propriæ uoluntatis ascribant, procul ab illa spiritali exulant uoluntate, & nihil in se habent quo ad uitam prouehantur æternam, incipientes in semetipsis etiam illa temporalia dei dona corrumpere, & à bono eorum usu in consuetudinem innumerabilium transire uitiorũ. Quamuis enim scriptum sit, quod cum dispertiret excelsus gentes, quemadmodum dispersit filios Adam, statuit terminos gentium, secundum numerum angelorum dei, et facta est portio domini, populus eius Iacob, funiculus hæreditatis eius Israël: Et scriptũ sit dominũ dicere ad Israël: Eritis mihi sancti, quia ego sanctus sum dominus deus uester, qui segregaui uos ab omnibus gentibus esse mihi: Et quamuis scriptum sit in libro Hester, dicente Mardochæo: Gratias tibi domine, quoniam feasti noua signa & prodigia, qualia non sunt facta in gentibus, diuidens omne seculum in sortes duas, elegisti unam tibi populi tui, relinquens aliam gentibus: Et Paulus & Barnabas dicant: Et nos mortales sumus similes uobis homines, annunciantes uobis conuerti ad deũ uiuũ, qui fecit cœlũ & terrã & mare, & oĩa quæ in eis sunt: qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi uias suas. Deu. 32. Leui. 19. Act. 14.

Quamuis

Quamuis ergo hæc & multa ſimilia ueritatis ſcriptura pronuncict, ſecundum ipſam tamen credimus & pijſſime confitemur, quod nunquam uniuerſitati hominum diuinæ prouidentiæ cura defuerit. Quæ licet exceptum ſibi populum ſpecialibus ad pietatẽ direxerit inſtitutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis ſuæ dona ſubtraxit: ut prophcticas uoces & præcepta legalia cõuincerentur in elcmentorum obſequijs ac teſtimonijs accepiſſe. Vnde et inexcuſabiles facti ſunt: quia deos ſibi dei dona fecerũt, & quæ creata erãt ad utendũ, uenerati ſunt ad colendũ. In quam impietatẽ etiã illa gens, quam ſibi ab omnibus gẽtibus dominus ſegregauit, tota tranſiſſet, niſi miſericordiæ ſuæ propoſitum ſuſtentandis electorũ lapſibus prætendiſſet. Nam plenæ ſunt paginæ ueteris teſtamenti de Iſraëliticæ defectionis relatu: ut aperte appareat diuinæ ſemper fuiſſe gratiæ, quod non omnis ille populus diſceſſit à domino. Ita humana natura in primi hominis præuaricatione uitiata, etiam inter beneficia, inter præcepta & auxilia dei, ſemper in deteriorem eſt procliuior uoluntatem: cui committi non eſt aliud quàm dimitti. Hæc itaq; uoluntas uaga, incerta, inſtabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cæca, in honoribus tumida, curis anxia, ſuſpitionibus inquieta, gloriæ quàm uirtutum auidior, famæ

quàm

quàm conſcientiæ diligentior, & per omnem ſui experientiam miſerior fruendo his quæ concupiuerit, quàm carendo, nihil in ſuis habet uiribus, niſi peria li facilitatem: quoniam uoluntas mutabilis, quæ non ab incõmutabili uoluntate regitur, tãto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni. Quandiu ergo homini ea placent quæ deo diſpli cent, uoluntas eius animalis eſt. Quia etiamſi in bonis moribus agat, male adhuc uiuit, ſi non in dei gloriam uiuit. Hoc eſt enim proprium & præcipuũ piorum, ut in domino gloriẽtur, nec ſe niſi in deo diligant. Bene enim ſe amãt, qui in ſe opera dei amãt. Nam & deus hoc amat in nobis, quod ipſe fecit: & hoc odit, quod ipſe non fecit. Si ergo opus dei amamus in nobis, bonã uoluntatem recte amamus in nobis: quæ utique ſi opus dei nõ eſſet, amãda nõ eſſet. Quis autem homo (niſi malæ uoluntatis fuerit) bonum in ſe nõ amat uoluntatẽ, quæ ſuperni agricolæ prima plantatio eſt? Dicente enim ueritate: Omnis plantatio, quã nõ plãtauit pater meus cœleſtis, eradicabitur. Quicquid nõ eſt eradicandum, manifeſtũ eſt à patre eſſe plantatum. Bona autem uoluntas omnium uirtutum germen eſt primum. Quæ innixa origini ſuæ in illa æterna & incommutabili uoluntate requieſcit, ut uere ſit ſpiritalis. Quoniam qui adhæret deo, unus ſpiritus eſt, dum per communionem illuminan-

Mat. 15.

1. Cor. 6.

illuminantis & illuminati, iustificantis & iustificati, regẽtis & subditi, omnis actio ad unum refertur: & quod ad unum refertur, utriusque est. Quia nec à deo alienari potest quod dedit, nec ab homine quod accepit.

CAPVT .III.

HIC tractandum uidetur: Vtrum cum bonæ uoluntatis esse homo incipit, eadem quæ in ipso erat corrigatur uoluntas, an alia ei quam nõ habebat et quæ priori repugnet, detur. Quod ut euidentius appareat, altius id non pigeat inquirere. Omnes homines in primo homine sine uitio conditi sumus, & omnes naturæ nostræ incolumitatem, eiusdẽ hominis preuaricatione perdidimus. Inde tracta mortalitas, inde multiplex corporis animiq; corruptio, inde ignorantia & difficultas, curæ inutiles, illicitæ cupiditates, sacrilegi errores, timor uanus, amor noxius, iniusta gaudia, pœnitenda consilia, & non minor miseriarum multitudo quàm criminum. His ergo atque alijs malis in naturam humanam irruentibus, fide perdita, spe relicta, intelligentia obcæcata, uoluntas captiua, nemo in se unde repararetur inuenit. Quia etsi fuit qui naturali intellectu conatus sit uitijs reluctari, huius tantũ temporis uitam steriliter ornauit, ad

uit, ad ueras autẽ uirtutes æternãq; beatitudinẽ non profecit. Sine cultu enim ueri dei, etiam quod uirtus uidetur esse, peccatum est, nec placere ullus deo sine deo potest. Qui uero deo nõ placet, cui nisi sibi et diabolo placet? A quo cũ homo spoliaretur, nõ uoluntate, sed uoluntatis sanitate priuatus est, qa nec detrudi ab innocentiæ statu posset, nisi uoluntate peccaret. Quæ ergo natura erat bona, qualitate facta est mala, & ille animi motus qui nũquam potest sine aliquo esse amore, hoc est, sine aliqua uoluntate, nõ perdidit appetitum, sed mutauit affectũ, id recipiens desyderio quod debuit refutare iudicio. Cum igitur homo ad pietatem redit, de quo ideo dictũ est: Spiritus uadens & non rediens. Quia nisi illum deum conuerteret, non rediret, non fit nouum figmentum, nouaq; creatura, non alia in eo creatur substantia, sed eadẽ quæ fuerat labefactata, reparatur. Nec aliud ab eo auferetur, nisi uitium quod natura non habuit. Fuit enim in Adam natura sine uitio, qui per uoluntatis inobedientiã mala multa contraxit, & in posteros magis magisq; multiplicanda transfudit. Quæ ut uincantur atque in nihilum deducantur, non efficit nisi gratia saluatoris, qui opus suum opere suo reparat. Sicut enim dicit Ioannes Apostolus: In hoc apparuit filius dei, ut soluat opera diaboli. Et sicut rumpit uincula captiui, sic uestit nuditatem spoliati, Psal. 77. i. Ioan. 3.

ſpoliati, ſic ſanat uulnera ſauciati: ut quod in ipſo agit, etiam per ipſum geratur. Cui utique contra hoſtem ſuũ non expedit ſine protectore cõfligere. Cum illo enim habet certamen, à quo aliquando ſuperatus eſt. Non ergo fidat de uiribus ſuis: quæ etiã cum eſſent integræ, non ſteterunt: ſed per illum quærat uictoriam, qui ſolus non eſt uictus, & omnibus uicit. Et ſi quærit, nõ dubitet quærendi affectum ab illo ſe accepiſſe quem quærit. Nec quia ſpiritu dei agitur, ideo ſe putet liberum arbitrium non habere: quod nec tunc quidem perdidit, quando diabolo uoluntate ſe dedit: à quo iudicium uoluntatis deprauatum eſt, nõ ablatum. Quod ergo non interfectum eſt per uulnerantem, non tollitur per medentem: uulnus ſanatur, non natura remouetur. Sed quod in naturâ periit, nõ reſtituitur niſi ab authore naturæ. Dicit dominus:

Hiere. 31. Et diſponam domui Iſraël, & domui Iudæ teſtamentum nouum: non ſecundum teſtamentum quod diſpoſui patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorũ, ut educerem illos de terra Aegypti: quia ipſi non perſeuerauerunt in teſtamento meo: & ego eos neglexi, dicit dominus. Quia hoc eſt teſtamẽtum quod diſponam domui Iſraël poſt dies illos, dicit dominus: Dabo leges meas in ſenſu ipſorum, & in corde ipſorum ſcribam eas, & ero illis in deum, & ipſi erunt mihi in populum. Et non docebit unuſquiſq;

proximum

proximum suum, & unusquisq; fratrem suum, dicēs: Cognosce dominum, quia omnes cognoscent me à pusillo eorum usque ad magnum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum memor non ero. Et dabo illis uiam alteram et cor aliud, ut me timeant omnes dies in bonum ipsis & filijs eorum post eos: & constituam illis testamentum æternum quod non auertam post eos, & timorem meum dabo in cor eorū, ne discedant à me, et uisitabo eos, ut bonos eos faciam. Per Esaiam quoq; de gratia sua dominus, qua ex omnibus hominibus nouam creaturā facit, eadem prænunciat, dicens: Ecce faciam noua quæ nunc orientur, & cognoscetis ea, & faciā in deserto uiam, & in sicca terra flumina. Benedicent me bestiæ agri, sirenæ & filiæ strutionum, quod dederim in deserto aquam, et flumina in sicca terra ad potandum genus meum electum, populum meum quem mihi acquisiui, ut enarrent uirtutes meas. Esa. 43. Et iterum: Per meipsum iuro, nisi exibit de ore meo iustitia, & uerba mea non auertentur, quia mihi flectetur omne genu, & confitebitur omnis lingua deo. Esa. 45. Si ergo impossibile est ista non fieri, quia nec incerta præscientia dei est, nec mutabile consilium, nec inefficax uoluntas, nec falsa promissio, omnes isti de quibus hæc prædicta sunt, sine cuiusquam exceptione saluantur. Dat enim leges suas in sensum ipsorum,

eas que in cordibus eorum digito suo scribit, ut agni
tionem dei, non doctrinæ humanæ opere, sed magi-
sterio summi eruditoris accipiant: Quia neque qui
1.Cor.3. plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incremen
tum dat deus: Omnes hi à pusillo usque ad magnum
cognoscunt deum, quia ut uenirent ad Christum, à pa
tre audierunt atque didicerunt, omnes educti ab erro
re, diriguntur in uiam uitæ, omnibus corde mutato re
cta sapere et recta uelle donatur, omnibus timor, quo
in mandatis dei erudiantur, inseritur: Fit in deser
to uia, & terra arida fluminibus irrigatur, ut qui
prius ad confitendum deum os non aperiebant, &
uelut muta atque irrationabilia animalia in feritatem
transierant bestiarum, diuinorum eloquiorum fonti-
bus mundati, benedicunt & laudant deum, enarran
tes uirtutes & mirabilia misericordiæ eius, qui elegit
eos & in filios adoptauit, ac noui testamenti fecit
Hebre.9. hæredes. Si autem (ut Apostolus loquitur) homi
nis confirmatum testamentum nemo spernit aut su
perordinat, quomodo fieri potest, ut ex ulla parte di
uina promissio resoluatur? Manet prorsus & quoti
die impletur quod Abrahæ dominus sine conditione
promisit, sine lege donauit. Quia & si quidam qui
bus hæc prædicata sunt, nō crediderunt, incredulitas
eorum fidem dei non euacuauit. Est enim deus ue-
Roma.3. rax, omnis autem homo mendax. Et illi quidem qui

audito

audito Euangelio credere noluerunt, inexcusabiliores facti sunt, quàm si nullum præconium ueritatis audissent. Sed certum est eos apud præscientiam dei Abrahæ filios nõ fuisse, nec in illorum sorte numerandos, de quibus dictũ est: Benedicentur in semine tuo oẽs tribus terræ. Credituros enim promisit q̃ dixit: Et nõ docebit unusquisque proximum suum, & unusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce dominum, quia omnes cognoscent me à pusillo eorum usque ad magnum. Reconcilliandos promisit, qui dixit: Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum memor nõn ero. Obedituros promisit qui dixit: Dabo illis uiam alteram & cor aliud, ut timeant me omnes dies. Perseueraturos ꝓmisit qui dixit: Timorẽ meũ dabo in cor eorũ, ne discedãt à me, & uisitabo eos, ut bonos eos faciã. Postremo omnes sine cuiusq̃ exceptione promisit qui dixit: Per memetipsum iuro nisi exibit de ore meo iustitia, & uerba mea nõ auertẽtur, quia mihi flectetur omne genu, & cõfitebitur omnis lingua deo. Hic si dicamus nõ fieri quod deus iurauit esse faciendũ, falsitatẽ deo (quod absit) & mendaciũ ascribimus ueritati. Si autẽ ut pietas fidesque persuadent, dei uerba nõ excidunt, et sit omnino quod statuit, quomodo nobis ueracis promissionis firmitas apparebit, cum multa adhuc hominum milia de

Gene. 28.

Hiere. 31.

sibi obseruaturos, fortassis. uide. Ro. 14. & Philip. 2. Esa. 45.

lia dæmonijs ſeruiant, & idolis genu flectam? Niſi huiuſmodi denunciationes dei ſecundum illam incommutabilem ſapientiã editas nouerimus, in qua apud illum iam uniuerſitas humana diſcreta eſt, & ſiue de bonis ſiue de malis loquatur, ita unius partis meminit, quaſi neminem hominum prætermittat. Nam

2. Cor. 5. cum dicit Apoſtolus: Vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia noua: Nunquid non omnes homines uidetur dixiſſe renouatos? Aut cum dicit:

Coloſ. 1. Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem habitare, & per ipſum reconciliari omnia in ipſo: Nunquid nouiſſe loquitur quaſi neminem uelit exortem huius reconciliationis intelligi? Aut cum ait:

Hebre. 1. Nouiſſimis iſtis diebus locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem uniuerſorum: Nunquid aliud ſonat formæ ſententiæ, quàm omnes homines in Chriſti hæreditate à patre eſſe tranſcriptos, ſecundum prophetiam Da-

Pſal. 2. uid dicentis: Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Dicente enim domino:

Ioan. 12. Si exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad me: Nónne uniuerſorum uidetur promiſſa conuerſio? Aut cum de eccleſia prophe-

Eſa. 40. tatur & dicitur: Omnis uallis replebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aſpera in uias planas: Nunquid ullus homi-

num

num uidetur omißus qui non ſignificatus ſit Chri/ſto eße ſubdẽdus? Quid cum dicitur: Et uenient omnis caro in conſpectu meo, ut adorent in Hieruſalem, di/cit dominus? Aut illud: Et erit in diebus illis: Effun/dam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem? Aut illud: Allenat dominus omnes qui corruunt, & erigit o/mnes eliſos? Nunquid non ita pronũciatum eſt qua/ſi ab hoc dei munere nemo diſcretus ſit? Habet ergo populus dei plenitudinem ſuam, & quamuis magna pars hominum, ſaluantis gratiam aut repellat aut negligat, in electis tamen et præſcitis, atque ab omni/um generalitate diſcretis, ſpecialis quædam cenſe=tur uniuerſitas, ut de toto mundo totus mundus libe=ratus, & de omnibus hominibus omnes homines ui/deantur aſſumpti. Sicut etiam cum de impijs ſermo eſt, ita locutionem ſuam diuinus ſtilus ordinat, ut ea quæ de quadam parte dicuntur, ad omnes homines pertinere uideantur. Veluti eſt illud quod ait Ioan= nes Baptiſta: Qui de cœlo uenit, ſuper omnes eſt, quod uidit & audiuit, teſtificatur, & teſtimonium eius nemo accipit. Aut illud Apoſtoli: Omnes quæ ſua ſunt quærũt nõ quæ Ieſu Chriſti. Aut illud quod pſalmus dauidicus canit: Dominus de cœlo proſpe= xit ſuper filios hominum, ut uideat ſi eſt intelligens, aut requirens deum. Omnes declinauerunt, ſimul in/utiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt

Eſa. 66. Ioel. 2. Pſal. 144. Ioan. 3. Phil. 2. Pſal. 13.

usque ad unum. His igitur & aliis documentis quæ possunt ab inquirentibus numerosiora proferri, non dubie demonstratur, interdum & pro parte terræ omnem terram, & pro parte mundi totum mundum, & pro parte hominum omnes homines nominari. Quorum tamen discretionem plerunq; scriptura cito aperit, ut sensus legentis ab uniuersitatis appellatione ad partem quæ intelligenda est, transferatur. Sicut est illud Apostoli dicentis: Prædicamus Iesum Christũ crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis uero uocatis Iudæis atq; Græcis Christum dei uirtutem & dei sapientiam. Nunquid ipsis Christus uirtus quibus scandalum, aut ipsis sapientia quibus stultitia? Sed quoniam quidam ex eisdem iustificabũtur fide, quidam autem sua impietate obdurabuntur, unum credentium & non credentium genus sub uocatorum appellatione discreuit, ut quos à fide significabat alienos, eos quamuis audissent Euangelium, ostenderet uocationis extraneos. Hac Regula per Esaiam promittit sermo diuinus, dicens: Educam cæcos in uiam quam non nouerunt, & semitas quas nesciunt, calcabunt. Et faciam illis tenebras illucescere, & praua in directum: Hæc uerba faciam, & non derelinquam eos. Sed quod sequitur: Ipsi autem conuersi sunt retro, ad partem quandam generis ipsorum referendum est, non ad eos quibus

i. Cor. 1.

Esa. 42.

eos quibus ait: Non derelinquam eos. Iterum dicit dominus ad Iacob: Noli metuere, quia tecũ ſum. Ab oriente adducam ſemen tuum, & ab occaſu colligam te. Dicam Aquilóni: adduc. & Aphrico: noli uetare, adduc filios meos de terra longinqua, & filias meas à ſummo terræ, omnes, in quibus uocatum eſt nomen meum. In gloriam enim meam paraui illum, & finxi & feci illum. Quod autẽ ſequitur: Et produxi plebem cæcam, & oculi eorum ſunt cæci, & ſurdas aures habent: non poteſt eis ulla ratione congruere, quos in gloriã ſuam paraſſe ſe dicit. In his quippe omnibus uerbis, quæ de uno hominum genere dicuntur, alijs perſonis priora, alijs poſteriora conueniunt. Apud Apoſtolum quoque quod in parte populi agitur, ſub totius populi nũcupatione narratur, & in reliquis plenitudo cenſetur. Cum enim de Iudæorum obcæcatione diſſereret, & quoſdam ex ipſis gratia ſaluos fieri demonſtraret, Dico ergo, inquit: Nunquid repulit deus populum ſuum? Abſit: Nam & ego Iſraëlita ſum ex ſemine Abraham de tribu Beniamin, nõ repulit deus plebem ſuam quam præſciuit. Plebs ergo præſcita, plebs non repulſa, hi ſunt qui in Chriſto iuſtificati ſunt. Et quod de omni Iſraële dici uidetur, in his tantũ quos ſibi gratiæ electio reliquos fecit, oſtenditur, ſicut ſequentia Apoſtolici ſermonis enarrant. Adiungit Eſa. 43. Rom. 11.

enim & dicit: An nescitis in Helia quid dicit scriptura, quemadmodum interpellet deū aduersus Israël Domine prophetas tuos occiderūt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi responsum diuinum? Reliqui mihi septem milia uirorum, qui non curuauerūt genu Baal. Sic ergo inquit: Et in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Si aūt gratia, iam nō ex operibus, alioquin gratia iam nō est gratia. Non ergo omnis Israël reprobatus, nec omnis electus est, sed partem cæcitas uolūtaria auertit, partem sibi illuminatio gratuita reseruauit: & tamen ita de eis sermo habetur, ut & in his qui pereunt, & in his qui salui fiunt, nulla totius generis uideatur facta discretio. Nam cum legitur: Secundū Euangelium quidem inimici propter uos, secundum electionem autem dilecti propter patres, ita locutio sonat, tanquam eosdem dicat dilectos, quos dixit inimicos. Sed hanc caliginē Apostolus ipse detersit, dicendo: Quia cæcitas ex parte in Israël contigit: ut unum genus in duas species intelligeremus esse diuisum, & omnem hominem, omnem plenitudinem, omnem Israëlem, non semper ad uniuersitatem, sed plerunq; ad partē esse referendum. Inter has autem formulas locutionum, etiam illam in scripturis dictionem debemus aduertere, qua id quod ad diuersorum

ſorum temporum homines pertinet, ita promittitur, quaſi de una eiuſdem ætatis generatione dicatur. Sicut eſt quod Sanctus Petrus Apoſtolus ſcribens ſui & futuri temporis gentibus, ait: Vos autem genus 1.Pe.2. electum, regale ſacerdotiũ, gens ſancta, populus acquiſitionis, ut uirtutes annuncietis eius, qui de tenebris uos uocauit in admirabile lumen ſuum, qui aliquando non populus, nunc autem populus dei, qui nõ conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti. Nunquid cum prædicarentur hæc, adhuc illi homines permanebant, quos omnes deus in præteritis generationibus dimiſerat ingredi uias ſuas, & ijdem ipſi qui prius traditi fuerant uoluntatibus ſuis, nunc de tenebris in lumen admirabile uocabantur? Nõnne illi iam defecerant, iam in hoc mundo nõ erant, nec ab errore ad ueritatem reditus olim mortuis ſuppetebat? Et tamen quod poſt multa ſecula, gratia in poſteris impiorum ſit, loquendi cõſuetudo perſtrinxit, ut ipſi uideantur nunc eligi, qui prius fuerant derelicti. Pertinent autẽ hæc non ad eoſdem homines, ſed ad eiuſdẽ gentis homines: & uocatio quæ illuxit prope mundi finẽ, ad præteritam nõ recurrit ætatem. Ita modo quodam & ipſi et nõ ipſi ſunt, de quibus & quibus iſta dicuntur, dum in aliquo ſpeciali à generalibus non diuiduntur, in aliquo uero à communibus ſeparantur.

CAPVT .IIII.

SED CVM LEGERINT hæc uel audierint, qui amant calumniosa certamina, dicent nos per huiusmodi
1. Tim. 2. disputatiõcs Apostolo cõtradicere diffinienti, quod deus omnes homines uelit saluos fieri, & in agnitionem ueritatis uenire. Quam particulam uerborum Apostoli, ita nos integre plenecq; susscipimus, ut nihil ei de præcedentibus siue subiectis, quæ ad ipsam pertinent, subtrahamus. Quoniã ut cætera diuinorum eloquiorum testimonia sequi/stremus, hic locus sufficit ad euacuandum, quod calumniose obijciunt, & ad defendendum quod impie diffitentur. Scribens itaque ad Timothæum Paulus
Ibidem. Apostolus, ait: Obsecro igitur primo omnium, fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam uitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram salutari nostro deo, qui omnes homines uult saluos fieri, & in agnitionem ueritatis uenire. Vnus enim deus & unus mediator dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. De hac ergo doctrinæ Apostolicæ regula, qua

ecclesia

ecclesia uniuersalis imbuitur, ne in diuersum intellectum nostro euagemur arbitrio, quid in ipsa uniuersalis ecclesia sentiat requiramus: quia nihil dubium esse poterit in præcepto, si obedientia concordet in studio. Præcepit itaque Apostolus, immo per Apostolum dominus qui loquebatur in Apostolo, fieri obsecrationes & postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, ac pro his qui in sublimitate sunt. Quã legem supplicationis ita omnium sacerdotũ & omnium fideliũ deuotio concorditer tenet, ut nulla pars mũdi sit, in qua huiusmodi orationes non celebrentur à populis Christianis. Supplicat ergo ubique ecclesia deo non solum pro sanctis & in Christo iam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus & inimicis crucis Christi, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus qui Christum in membris ipsius persequuntur, pro Iudæis, quorum cæcitati lumen Euangelij non refulget, pro hæreticis & saismaticis, qui ab unitate fidei & charitatis alieni sunt. Quid autem pro istis petit, nisi ut relictis erroribus suis conuertantur ad deum, accipiant fidem, accipiant charitatem, & de ignorantiæ tenebris liberati, in agnitionem ueniant ueritatis? Quod quia ipsi præstare sibi nequeũt, malæ cõsuetudinis põdere oppressi, et diaboli uinculis alligati, neq; deceptiones suas euincere ualent,

quibus

quibus tam pertinaciter inhæserũt, ut quantũ amanda est ueritas, tantum diligant falsitatem. Misericors & iustus dominus pro omnibus sibi uult hominibus supplicari, ut cum uidemus de tam profundis malis innumeros crui, non ambigamus deum præstitisse, quod ut præstaret oratus est. Et gratias agentes pro his qui salui facti sunt, speremus etiam eos, qui nondum illuminati sunt, eodẽ diuinæ gratiæ opere eximendos de potestate tenebrarũ, ut in regnum dei priusquam de hac uita exeant, transferantur. Quod si aliquos (sicut uidemus accidere) saluantis gratia præterierit, & pro eis oratio ecclesiæ recepta nõ fuerit, ad occulta diuinæ iustitiæ iudicia referẽdum, & agnoscendum est secreti huius profunditatem nobis
1.Cor.13. in hac uita patere non posse. Ex parte enim scimus, & ex parte prophetamus, & uidemus nunc per speculum in ænigmate. Nec sapiẽtiores aut scientiores beatissimo Apostolo sumus, qui cum de gratiæ potentia disputaret, magnorum mysteriorum ingressus arcanũ, ijs quæ impossibile erat enarrare, succubuit.
Rom.11. Cum enim dixisset: Nolo uos ignorare fratres mysterium hoc, ut non sitis uobisipsis sapientes, quia cæcitas ex parte in Israël contigit, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret, sicut
Esa.59. scriptũ est: Veniet ex Sion qui eruat & auertat impietates ab Iacob, & hoc illis à me testamẽtum, cum

ablstulero

abſtulero peccata eorum. Secundũ Euangeliũ quidem inimici propter uos, ſecundum electionem uero dilecti propter patres. Sine pœnitentia enim ſunt dona & uocatio dei. Sicut enim aliquando & uos nõ credidiſtis deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis propter illorũ incredulitatem, ita & iſti nũc non crediderunt in ueſtra miſericordia, ut & ipſi miſericordiam conſequantur. Concluſit enim deus omnia in incredulitate, ut omnium miſereatur. Cum ergo hæc diuinorum operum myſteria, ſupra menſuras humanæ intelligentiæ excellentia, quodam mentis ſuæ profudiſſet exceſſu, totã expoſitionis rationem tranſtulit ad ſtuporem, & admirator eorum quæ protulerat, exclamauit & dixit: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles uiæ eius. Quis enim cognouit ſenſum domini? aut quis cõſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipſo & per ipſum et in ipſo ſunt omnia. Ipſi gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Rom. 11.

CAPVT .V.

PRAEMISSA enim docẽtis aſſertio locum dabit multimodæ quæſtioni, ut uariatæ per tot populos ac tempora gratiæ dei cauſa quæreretur: Cur ſcilicet anterio-

cet anterioribus seculis dimissæ essent omnes gentes ingredi uias suas, uno tantũ Israële (qui diuinis eloquijs erudiretur) excepto, & ad cognitionem ueritatis electo, cuius infidelitas locum tandem saluandis gentibus fecerit, tanquam si unus populus in fide sui generis permaneret, misericordia dei cæteris se nationibus præstare non posset? Cur denique ipsi quorum diminutio salus gẽtibus est, ab obcæcatione sua non liberentur prius quàm ingrediatur gentium plenitudo, quasi illuminari cum omnibus nequeãt, qui omnes fãcta omnium gentium adoptione saluandi sunt? Aut quomodo omnis Israël sublata obcæcatione saluandus sit, cuius innumerabilis multitudo in sua infidelitate deficiens, ad tempora saluandis promissa nõ peruenit? Vel quomodo ipsarum gentiũ (quarũ prius non est facta uocatio) dicatur nunc ingredi plenitudo, cum tot promiscuæ ætatis & conditionis hominũ milia in omnibus nationibus, quæ sunt sub cœlo, sine Christi iustificatione moriantur! Sed horũ mysteriorũ iudiciorumq; causas pius & doctus magister maluit ad altitudinem diuitiarum sapientiæ dei scientiæq; suspendere, quàm iustissimæ ueritatis et misericordissimæ bonitatis subtractũ ab humana cognitione secretũ temeraria inquisitione discutere, nihil omittẽs de his, quæ nõ oportet ignorari, nihil contrectans de his, quæ non licet sciri. Multa enim

ta enim sunt in dispensatione operũ diuinorũ, quorum, causis latentibus, soli monstrantur effectus, ut cum pateat quod geritur, nõ pateat cur geratur negocio in medium deducto, & in occultum ratione subducta, ut in eadẽ re et de inscrutabilibus præsumptio comprimatur, & de manifestis falsitas refutetur. Neque enim si nescio cur ille Græcus crcetur, hic barbarus, iste in diuitijs, ille in ægestate nascatur, hunc ualida proceri corporis pulchritudo sublimet, illum debilium membrorum exilitas contracta deformet, iste à catholicis editus, in ueritatis cunabulis nutriatur, ille hæreticorum progenies, cum ipso lacte matris hauriat uirus erroris: Si denique mille alias differentias in habitu corporum, in qualitatibus animorum, in conditione temporum, in more regionum, dijudicare non possum, ideo quod omnium horum deus sit conditor atque ordinator, ignoro. Qui utiq; singulorum hominum ita & corpora creauit, & spiritus, ut præter illam secuturã ex uniuscuiusq; studio uolũtariã diuersitatẽ, ipsa cõditionis exordio dißimillima numerositate uariaret. Turbarent autem nos, & in diuersum distraherent multæ uaniloquorum opiniones, qui de incognoscibilibus dcuenire in inconueniẽtia præsumpserũt, & has originales inæqualitates fatis (quæ nulla sunt) & syderibus deputarũt, nisi certißima notitia tenc-

remus

remus deũ creatorem de elemẽtis naturalibus prouuult uas unũquodq; formare, & unã naturã animarũ, et unã naturã corporũ, placitis sibi tẽperare mensuris. Quæ utiq; opa dei, humanæ intelligẽtiæ cognoscibilia essent, si innotescere debuissent: & manifestaretur cur ita quidq; fieret, nisi qd'ita fieret, scire suffi
Exo. 4. æret. Dicit dominus ad Moysen: Quis dedit os homini, & quis fecit mutum & nõ audientem, uidentem
Esa. 66. & cæcũ, nónne ego dominus deus? Et per Esaiam: Nónne ego fœcundum & sterilem feci, dicit domi-
Eccl'ci. 11. nus? In libro ecclesiastico legitur: Bona & mala, uita & mors, paupertas et honestas à deo sunt. Et Iob
Iob. 12. dicit: Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant deum, cum ipse dederit omnia in manibus eorum. Et idem de omnium rerum humana-
Ibidem. rũ profectu & defectu disputans, omnesq; mutationes ad iudicia dei referens: Apud ipsum est, inquit, sapientia & fortitudo, ipse habet consilium & intelligentiam. Si destruxerit, nemo est qui ædificet: si incluserit hominem, nullus est qui aperiat: si continuerit aquas, omnia siccabũtur: si emiserit eas, subuertent terram. Apud ipsum est fortitudo & sapientia, ipse nouit & decipientem, & eum qui decipitur, adducit consiliarios in stultum finem, & iudices in stuporem. Balteum regum dissoluit, & præcingit func renes eorum. Ducit sacerdotes ingloriosos,

& optima-

& optimates supplantat. Commutans labium uera-
cium, & doctrinam senum auferēs: effundens des-
pectionem super principes, et eos qui oppressi fuerant,
releuans. Qui reuelat profunda de tenebris, & pro-
ducit in lucem umbram mortis. Qui multiplicat gen-
tes & perdit eas, & subuersas in integrum restitu-
it. Qui immutat cor principum terræ, et decipit eos,
ut frustra incedant per inuium. Palpabunt quasi in
tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quasi
ebrios. Et iterum idem, dicens uoluntatem dei irri-
tam esse non posse: Ipse enim (inquit) solus est, & Iob.33.
nemo auertere potest cogitationem eius, & anima
eius quodcunque uoluerit, hoc fiet. Liberatur pars
hominum, partæ pereunte: & si hoc uoluntatum me
ritis uelimus ascribere, ut malos neglexisse gratia,
bonos autem elegisse uideatur, resistet nobis innume
rabilium causa populorum, quibus per tot secula nul
la cœlestis doctrinæ annūciatio corrusca uit. Nec me
liores fuisse eorum posteros possumus dicere, de qui-
bus scriptum est: Gentium populus qui sedebat in te- Esa.9.
nebris, lucem uidit magnam, & sedentibus in tene-
bris & umbra mortis, lux orta est illis. Et ad quos
Apostolus Petrus dicit: Vos autem genus electum, re- 1.Petri.2.
gale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitio-
nis, ut uirtutes annuncietis eius qui de tenebris uos
uocauit in tam admirabile lumen suum, qui quon-

dam non populus, nunc autem populus dei, quorum aliquando non est misertus, nunc autem miseretur. Non ergo meritis minorum tribuitur quod non meruere maiores. Parcenim impietas & patres accusabat & filios: eademque ignorantiæ cæcitas omnes simul in eosdem mergebat errores. Sed cur illorum nõ misertus et horũ misertus sit deus, quæ scientia cõprehẽdere, quæ potest inuestigare sapiẽtia? Latet discretionis ista ratio, sed nõ latet ipsa discretio. Non intelligimus iudicãtem, sed uidemus operantẽ. Quid calumniamur iustitiæ occultæ, qui gratias debemus misericordiæ manifestæ? Laudemus & uenceremur quod agitur, quia tutum est nescire quod tegitur. Respice autem & ad uniuersalem multitudinem paruulorum, in quibus, excepto illo, quo in damnationem nascitur gens humana, delicto, nec præterita possunt merita nec futura censeri. Omnes enim de quibus nũc loquimur, ante ullum intelligentiæ usum, ante liberum uoluntatis arbitrium, alij ad æternam beatitudinem regenerati, alij ad perpetuam miseriam transeunt non renati. Si originalem culpam fateris, omnis numerus in reatu est. Si moralem innocentiam quæris, omnis summa sine uitio est. Non inuenit quod discernat humana iustitia, sed habet quod eligat inenarrabilis gratia dei. In absconditio est consilium, sed non latet donum: opus exerit

pietas,

pietas, causam obscurat potestas. Sed tam indubitabile est quod non uidetur, quàm quod uidetur: quia authori manifesti operis negari confessio, etiam incognitæ non potest æquitatis. Quod si & ad illos dirigas mentis intuitum, qui longam agentes in flagitijs & sceleribus ætatem, sacramento baptismatis Christi in ipso uitæ fine renouantur, & sine ullo suffragio bonorum operum in regni cœlestis consortium transferuntur, quo intellectu diuinum iudicium comprehendes? nisi ut indubitanter agnoscas gratuita esse dei munera. Et sicut nulla sunt tam detestanda facinora, quæ possint gratiæ arcere donum, ita nulla posse tam præclara opera existere, quibus hoc quod gratis tribuitur, per retributionis iudicium debeatur. Vilesceret enim redemptio sanguinis Christi. Nec misericordiæ dei humanorum operum prærogatiua succumberet, si iustificatio quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, ut non munus largientis, sed merces esset operantis. Vnde autem posset probari, quod ad euacuandum originale peccatum, nulla idonea esset industria? nisi & impij & facinorosi per lauacrum Christi assumerētur in regnum. Agnoscerent' que qui in sua iustitia gloriātur, quā nihil dignū agere possint adoptione filiorum dei, si ad regenerationis non peruenerunt sacramentū, cum eadem qua sce-

leſtiſſimi peccatores conditione teneantur. Pares futuri in ſanctificatione, ſi affuerit regeneratio: ſimul perituri, ſi ceſſauerit ablutio. Si ergo etiam extremiſſimis in ipſo uitæ exitu gratia inuenit quos adoptet, cum tamē multi etiam qui minus nocentes uidentur doni huius alieni ſunt, quis hoc aut ſine diſpenſatione dei fieri, aut ſine profunda dicat æquitate decerni? Quod utique non ideo iniquum eſt, quia occultum eſt: ſed ideo æquum eſt, quia iudicium dei eſſe non dubium eſt. Quod enim ab illius pendet arbitrio, qua ſententia iudicari debeat, priuſquam iudicetur, incertum eſt. Cum autem res ad finem ſuum uenerit, nemini liberum eſt de exitu conqueri: quia certiſſimum eſt, nihil aliter deum facere debuiſſe quàm fecerit. Qui multimodæ uocationis uarietatem ad unam gratiam pertinentem, etiam illa regula Euangelicæ comparationis aſtruxit, qua oſtendit patrem familias diuerſo tempore conducentem operarios uineæ ſub pactione denarij, quo uitæ æternæ ſignificatur æqualitas. Vbi ſine dubio hora undecima intromiſſi in uineam, totius diei operarijs exæquati, iſtorum, de quibus nunc loquimur, præferunt ſortem, quos ad commendandam gratiæ excellentiam in defectu diei & concluſione uitæ, diuina indulgentia numerauit, non labori præcium ſoluens, ſed diuitias bonitatis ſuæ in eos, quos

ſine

ſine operibus elegit, effundens: Vt etiam hi qui in multo labore ſudarunt, nec amplius quàm nouiſſimi acceperunt, intelligant donum ſe gratiæ, non operum accepiſſe mercedem. Vnde ſi & nos aduerſum patremfamilias murmuremus, eo quod nouiſſime uocati totius diei operarijs coæquentur, nec amplius multa opera quàm pene nulla mereantur, dicetur nobis quod uni eorum reſponſum eſt: Amice, non facio tibi iniuriam: Nónne ex denario conueniſti mecum? Tolle quod tuum eſt & uade. Volo autem & huic nouiſſimo dare ſicut & tibi. Aut non licet mihi de re mea facere quod uolo? Aut oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Certe huic calumniatori iniuſta uidebatur hæc largitas, & quid eruditionis retulit? quid rationis accepit? Non eſt ei diſpenſationis huius reuelata iuſtitia, nec ad inſpectionem ſecreti latentis admiſſus eſt: ſed ut à diſcutiendis dei iudicijs abſtineret, oppoſita eſt ei bonitas miſerantis, & uolentis poteſtas. Quaſi illi & ab Apoſtolo dicere- Matt. 20. Roma. 9.
retur: O' homo tu quis es qui reſpondeas deo? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quare me feciſti ſic? Omnibus ergo hominibus, cuiuslibet generis, cuiuslibet conditionis & ætatis, cauſa percipiendæ gratiæ uoluntas dei eſt, apud quam ratio electionis abſcondita eſt, ab ea gratia incipientibus meritis, quam accepêre ſine meritis. Quæ ſi poſſent bona eſ-

Ioan .3. se sine gratia, non diceretur: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, nō intrabit in regnum cælorum: Et, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis uitam in uobis. Sed diceretur: Nisi quis fuerit iustus & bonus, beatus in æternum esse non poterit. Nec opus esset per aquam & spiritum renasci, si per mandatum sufficeret erudiri. Et euacuaretur fides, quæ credit per baptismum omnia peccata dimitti, si gratia nō malis & impijs, sed bonis & rectis doceretur impendi. Origo itaque ueræ uitæ ueræq; iustitiæ, in regeneretionis est posita sacramēto: ut ubi homo renascitur, ibi ritum ipsarum uirtutum ueritas oriatur. Et incipiūt ad perpetuam gloriam proficere per fidē, qui uix ad temporalem uanæ laudis poterant peruenire mercedem. Siue enim Iudæus legis scientia tumens, siue Græcus studio sapientiæ naturalis inflatus, priusquam iustificetur per fidem Christi, conclusus est sub peccato. Et si in sua infelicitate perstiterit, ira dei manet super eum, illa scilicet in Adæ prævaricatione cōtracta. De qua Apostolus loquitur dicēs: Et uos cum essetis mortui delictis & peccatis uestris, in quibus aliquando ambulastis secūdum seculū mūdi huius, secundū principē potestatis aëris huius, spiritus qui nūc operatur in filios diffidentiæ, in quibus & nos aliquando conuersati sumus in desideriis

Ephe. 2.

carnis

carnis nostræ, facientes uoluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filij iræ, sicut & cæteri. Et iterũ. Qui eratis illo tempore sine Christo alienati à conuersatione Israël, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine deo in mundo. Et iterum: Eratis aliquando tenebræ, nũc autem lux in domino. Et iterum: Gratias agentes patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorũ in lumine, qui eripuit nos de tenebris & potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ. Et iterum: Eramus enim & nos aliquando insipientes, increduli, errantes, seruientes desyderijs et uoluptatibus uarijs, in malicia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Cum autem benignitas & humanitas apparuit saluatoris nostri, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum saluatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem uitæ æternæ. Ibidem. Ephe. 5. Colos. 1. Titum. 1.

CAPVT .VI.

QVT breuissime pateat, qualis sit natura humana sine gratia, dicat Iudas Apostolus, qd agat uel ignorantia imperitorum, uel doctrina sapiẽtium:

Iude.1. Hi autem, inquit, quæcunq; quidem ignorant, blas
phemãt: quæcunq; aũt naturaliter, ut muta anima
lia norunt, in his corrumpũtur. Dicat etiã ſub uerbis
Zachariæ Euãgeliſta Lucas, antè illuminationẽ gra
tiæ, in qua humanũ genus nocte uerſetur, & de qui
bus ignorantiæ tenebris dei populus eruatur: Et tu,
Luce.1. inquit, puer propheta altiſſimi uocaberis: præibis
enim ante faciem domini parare uias eius. Ad dan
dam ſcientiam ſalutis populo eius, in remiſſionẽ pec
catorum ipſorum. Propter uiſcera miſericordiæ do
mini, in quibus uiſitauit nos oriens ex alto. Lucẽ
his qui in tenebris et umbra mortis ſedẽt, ad dirigen
dos pedes noſtros in uiam pacis. Hæc autem uiſcera
miſericordiæ, dominus, nõ ad unius tantũ populi re
demptionẽ, ſed omniũ nationũ impendit ſalutẽ, di
Ioan.11. cẽte Euãgeliſta: Quia Ieſus moriturus erat pro gen
te, nõ tantũ pro gente, ſed etiã ut filios dei diſperſos
cõgregaret in unũ. Hoc enim agit illa uox domini,
quæ per quandam pietatis tubam toto terrarum or
be reſonantem, omnes homines & inuitat & cõue
Mat.11. nit. Nam cum dixiſſet: Confiteor tibi pater domine
cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus &
prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita pater, quo
niã ſic beneplacitũ eſt ante te: addidit: Omnia mihi
tradita ſunt à patre meo, & nemo nouit filiũ niſi pa
ter: neq; patrem quis nouit niſi filius, & cui uolue
rit filius

rit filius reuelare. Et deinde adiecit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego uos reficiam. Tollite iugum meum super uos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue est. Ioannes uero Baptista in Euãgelio Ioannis, prophetico spiritu protestatur, dicens: Qui de cœlo uenit, super omnes est: quod uidit & audiuit, testificatur, & testimonium eius nemo accipit. Qui accipit testimonium eius, signauit quoniam deus uerax est. Igitur quantum attinet ad humani generis cæcitatem, longa ignorantiæ & superbiæ nocte contractam, uenit in hunc mundũ creator mundi, & mundus eum nõ cognouit. Lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt. Qui super omnes est, quod uidit & audiuit, testificatur, & testimonium eius nemo accipit. Sed quia non frustra deus dei filius uenit in mundum, & dedit semetipsum pro omnibus, mortuus est: nõ tantũ pro gente, sed etiam ut filios dei dispersos congregaret in unũ. Et uniuersis dicit: Venite ad me oẽs qui laboratis & onerati estis. Et seruato sibi incognoscibilis electionis arbitrio, dat sui patris q; noticiã, quibus eã uoluerit reuelare. Omnes filij lucis, filij promißionis, filij Abrahæ, filij dei, genus electũ, regale sacerdotium, ueri Israëlitæ, præcogniti & præordi- Ioan. 3.

nati in regnũ dei (q eos uocauit nõ solũ ex Iudæis, sed etiã ex Gẽtibus) testimoniũ eius, q de cœlo uenit, accipiũt: significãtes qa deus uerax est, id est, expresse significãtes i sui saluatiõe, quoniã deus uerax est, implens et perficiẽs, qd promisit Abrahæ omniũ gentium patri. Qui polliciente deo quod hæres futurus esset mundi, non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam deo, & plenissime sciens, quoniam quod promisit, potens est & facere. Quis autem tam alienus est á fide Abrahæ, quis tam degener ab uniuersarum gentium patre, qui promissionem dei, aut non impleri, aut ab alio præter eum qui promisit, dicat impleri? Ille quidẽ erit mendax, deus autem est uerax. Et omnis qui accipit testimonium eius, hoc signat, hoc indicat, quod per lucẽ illuminantem factus est uidens, factus est obediens, factus est intelligens, sicut Ioannes Euangelista testatur, dicens: Scimus quia mundus totus in maligno
1. Ioan. 5. positus est, & scimus quia filius dei uenit, & dedit nobis sensum ut cognoscamus uerũ deum, & simus in uero filio eius.

CAPVT .VII.

SI VERO QVAERITVR: Cur saluator omnium hominum non omnibus dedit hunc sensum, ut cognoscerent uerum

rum deum, & essent, id est, permanerent in uero filio eius, quauis credamus nullis hominibus opĕ gratiæ in totũ fuisse subtractã? De quo plenius in sequentibus disseremus. Tamĕ ita forte hoc uelatũ sit, sicut illud abscõditũ est: Cur antea, omnibus gẽtibus prætermissis, unum populũ sibi, quĕ ad ueritatis cognitionem erudiret, exceperit? De quo iudicio dei si nõ est conquerendum, multo minus de hoc, quod cum electione omnium gentiũ geritur, murmurandũ est. Quæ enim deus occulta esse uoluit, non sunt scrutanda: quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda, ne & in illis illicite curiosi, & in istis dãnabiliter inueniamur ingrati. Non autem ignoramus esse quosdã tam inconsyderatæ præsumptionis, & tam superbæ arrogantiæ, ut quod præcipuus magister gentium, nõ ab hominibus neq; per hominĕ, sed diuinitus eruditus supra mensurã scientiæ suæ longe et alte remotum esse confessus est, audeant falsi nominis temerare doctrina, & nihil illic occultũ, nihil uelint esse secretum, ubi Apostolus nõ quid sentiendũ esset aperuit: sed quid nõ scrutandũ esset, ostendit. Nullis etenim (qd supra iam diximus) studijs, nullis ingenijs indagare concessum est, quo iudicio, quóue cõsilio deus incõmutabiliter bonus, incõmutabiliter iustus, semp præscius, semp omnipotẽs, ideo oĩa in incredulitate Rom. xi.
cõcluserit, ut omniũ misereatur: & tamĕ illis fealis

quibus

quibus unum Israëlem erudiebat, innumerabiles populos impiorum illuminare distulerit, & nunc eundem Israëlem, donec uniuersitas gentium introeat, obcæcatũ esse patiatur, pereuntem in tot milibus nascentium atq; morientium, & saluãdum in eis quos mundi finis inuenerit. Quo mysterio toto scripturarum corpore dilatato, innotuit quidem nobis quid factum sit, quid fiat, quid'ue faciendum sit: sed quare ita fieri placuerit, ab humanæ intelligentiæ contemplatione subtractum est. Isti autem qui nescire aliquid erubescunt, & per occasionem obscuritatis tendunt laqueos deceptionis, omnem discretionem quam
Matt. 20. deus alios eligit, aliosq; non eligit (Multi enim sunt uocati, pauci autem electi) ad merita humanæ refferunt uolũtatis, docentes scilicet neminem gratis, sed ex retributione saluari: quia naturaliter omnibus sit insitum, ut si uelint, possint ueritatis esse participes, eisq; affluere gratiã, à quibus fuerit expetita. Quæ diffinitio ut interim de gratiæ ueritate taceatur, de his uidetur aliquam ostentare ratiunculam, qui libero utuntur arbitrio. De paruulis uero quibus sine ullo bonæ uoluntatis merito in originali uulnere cum cæteris mortalibus causa communis est, nihil potest expositionis afferri, qua doceatur cur isti salui fiant renati, illi pereant non renati, sub illius prouidentia & omnipotentia, in cuius manu est anima omnis uiuentis,

uentis, & ſpiritus uniuerſæ carnis hominis. Et cui dicitur: Breues dies hominis ſunt, numerus dierum eius apud te eſt. Non autem puto iſtos uoluntatũ patronos, ſimplicitate illorũ tam impudẽter uſuros, ut aut fortuitu iſta dicant accidere, aut nõ renatos aſſerant non perire. Aperte enim aut cum Paganis conuincerẽtur ſentire de fato, aut cum Pelagianis tranſfuſum in poſteros Adæ negare peccatum. Fato autẽ non baptizari paruulos, nec Pelagiani potuerũt dicere: ſed quia eos liberos à peccato auſi ſunt profiteri, meruere damnari. Cũ autem de diſcretione omnium hominũ quæſtio uentilctur, et ab omnibus hominibus paruuli nequeãt ſeperari, ſimulq; de totius ætatis hominibus ueritas dixerit: Filius hominis uenit quærere & ſaluare quod perierat: frũſtra profunditatem inſcrutabilis gratiæ per liberum arbitrium conantur aperire, qui cauſam electionis in eorum cõſtituũt meritis qui eliguntur. Et cum multa de maiorum uoluntate ac iudicio inepta & falſa protulerint, in paruulorum tamen diſcretione deficiunt: nec poſſunt de eius quæſtionis ratiõe reddita gloriari, quæ de omnibus hominibus tractatur, & non de omnibus expeditur. Multiformitas autem & magnitudo diuinæ gratiæ, probat iſtos contra ueritatem, etiam quod de maiorum uoluntatibus loquuntur, aſtruere, eorumq; perſuaſioni diuinorum eloquiorũ teſtimonia

Iob. 14.

Luce. 19.

teſtimonia repugnare. Quæ ſi omnia ſermoni noſtro uelimus annectere, modus non erit diſſerendo. Quæ tamen ſi ſe recordationi offerunt, non omittantur, ut quantum ſatis eſt manifeſtetur omne hominis bonum meritum ab initio fidei uſq; ad perſeueranti cõſummationẽ, donum atque opus eſſe diuinum.

CAPVT .VIII.

IGITVR FIDES, quæ bonæ uoluntatis et iuſtæ actionis eſt genitrix, quo ipſa fonte naſcatur, Apoſtolus Paulus exponat, qui pro Romanorum fide deo gratias agit, dicens: Primum quidẽ gratias ago deo meo per Ieſum Chriſtũ pro omnibus uobis, quia fides ueſtra annũciatur in uniuerſo mũdo. Ad Epheſios quoq; ſcribens: Propterea, inquit, & ego audiens fide ueſtra quæ eſt in domino Ieſu, & dilectione in omnes ſanctos, nõ ceſſo gratias agẽs pro uobis, memoriã ueſtri faciẽs in orationibus meis, ut deus domini noſtri Ieſu Chriſti pater gloriæ, det uobis ſpiritũ ſapientiæ & reuelationis in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis ueſtri, ut ſciatis quæ ſit ſpes uocationis eius, quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in ſanctis. De fide etiam Coloſſenſium ſimiliter deo gratias agens: Gratias agimus, inquit, deo & patri domini noſtri Ieſu Chriſti, ſemper pro uobis orãtes, audientes fidẽ ueſtrã in Chriſto Ieſu, & dilectionẽ quam

Rom. 1.

Ephe. 1.

Coloſ. 1.

quam habetis in ſanctos omnes, propter ſpem quæ repoſita eſt uobis in cœlis. Et ut alia bona ab eodem bonorum authore percipiant, quid pro eis oret enarrãs: Ideo, inquit, et nos ex qua die audiuimus, non ceſſamus pro uobis orantes & poſtulantes, ut impleamini agnitione uoluntatis eius, in omni ſapientia & intellectu ſpiritali, ut ambuletis digne, deo placentes, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia dei, in uirtute confortati ſecundũ potentiam claritatis eius, in omni patientia & longanimitate cum gaudio. Item ad Theſſalonicenſes, qui ſpiritu fidei dilectionisq; ſeruiebant: Gratias agimus, inquit, deo ſemper pro omnibus uobis, memoriam facientes in orationibus noſtris ſine intermiſſione, memores operis fidei ueſtræ & laboris & charitatis & ſuſtinentiæ ſpei domini noſtri Ieſu Chriſti ante deum & patrem noſtrum. Et infra: Ideo & nos gratias agimus deo ſine intermiſſione, quoniam cum accepiſſetis à nobis uerbum auditus dei, accepiſtis non ut uerbum hominum, ſed ſicut eſt uere uerbum dei, qui operatur in uobis qui credidiſtis. Potuit ne plenius aut euidentius demonſtrari dei eſſe donum, credentiũ fidem, quã ut ideo agerẽtur gratiæ deo, quoniã his q̃bus uerbũ dei p̃ homines prædicabatur, nõ quaſi de hominum ſermone dubitarũt, ſed tanquam deo loquenti per homines crediderũt, qui

1. Theſ. 1.

1. Theſ. 2

in ipſis

in ipsis est operatus ut crederent: In secūda quoq; ad eosdem Thessalonicenses Epistola, de fide in Chri= 2.Tes.1. sto proficientiū ita Apostolus loquitur: Gratias agere debemus deo semper pro uobis fratres, ita ut dignum est, quoniam supercrescit fides uestra, et abundat charitas uniuscuiusq; uestrum in inuicem, ita ut & nosipsi in uobis gloriemur in ecclesijs dei pro patientia uestra & fide, in omnibus persecutionibus uestris & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum iusti iudicij dei, ut digni habeamini in regno dei, pro quo & patimini. Petrus quoque Apo= 1.Pe.1. stolus ex deo haberi fidem prædicans, ita scribit: Scientes quod non corruptibilibus auro & argento redēpti estis de uana cōuersatione uestra paternæ traditionis, sed precioso sanguine quasi agni incōtaminati & immaculati Christi Iesu, præcogniti quidem ante constitutionem mundi, manifestati autē nouissimis tēporibus propter uos, qui per ipsum fideles estis in deum, qui suscitauit eum à mortuis, & gloriam ei dedit, ut fides uestra & spes esset in domino. Item idem in secunda epistola de fidei perceptione sic lo= 2.Pet.1. quitur: Simon Petrus seruus et Apostolus Iesu Christi, his qui coæqualem nobis adepti sunt fidem per iustitiam domini & saluatoris Iesu Christi. Vnde autē habeatur spiritus fidei, Ioannes Apostolus ma= 1.Ioan. 4 nifestissime docet, dicēs: Omnis spiritus qui cōfitetur Iesum

Ieſum in carne ueniſe, ex deo eſt, & omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus. Item dicit, ab eo recipi Euangelium, in quo eſt ſpiritus ueritatis: Nos, inqt, ex deo ſumus. Qui nouit deum, audit nos: qui non eſt ex deo, non audit nos. In hoc cognoſcimus ſpiritum ueritatis, & ſpiritum erroris. Item in actibus apoſtolorum Petrus Apoſtolus fidem eſſe per dominum Ieſum pronũcians: Hũc, inquit, quem uidetis & noſtis, confirmauit nomen eius, & fides quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium ueſtrum. De fide quoq; Lydiæ, cuius inter alias mulieres quæ Euangelium pariter audiebant, dominus cor aperuit, ita in eadem narratur hyſtoria: Die autem ſabbatorum egreſſi ſumus extra portam iuxta flumen, ubi uidebatur eſſe oratio, & ſedentes loquebamur mulieribus quæ conuenerant, & quædam mulier nomine Lydia purpuraria ciuitatis Thyathirorum, colens deum audiuit, cuius dominus cor aperuit, ut intẽderet his quæ dicebãtur à Paulo. Nõ autẽ ex humana ſapiẽtia eſſe fidem, ſed ex inſpiratione diuina ipſius ueritatis uoce firmatur. Dicente enim domino ad diſcipulos ſuos: Vos autẽ quẽ me eſſe dicitis? Reſpondens Simon petrus dixit. Tu es Chriſtus filius dei uiui. Reſpondens autem Ieſus dixit ei: Beatus es Simon bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus

Ibidem

Actis. 3.

Actis. 16.

Matt. 16.

qui in cœlis est. Paulus uero Apostolus hanc ipsam fidem secundum mensuram dari pro arbitrio largen
Rom.12. tis ita prædicat: Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter uos, non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, sicut unicuique diuisit deus mensuram fidei. Item idem unitatem rectæ fidei, et consensionem in honorem dei à
Rom.15. deo esse cõmendans: Deus autem, inquit, patientiæ & consolationis det uobis idipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis deum & patrem domini nostri Iesu Christi. Et infra: Deus autem spei repleat uos omni gaudio & pace in credendo, ut abundetis spe in uirtute spiritus sancti. Quo testimonio non solum fides, sed etiam gaudium & pax & abundantia spei, docentur nisi in uirtute sancti spiritus non haberi. Ad Ephesios uero scribens Apostolus de diuitijs gratiæ, pro malis bona retribuentis, & de fide quæ non ex nobis, sed ex dei dono habetur, hæc lo-
Ephe.2. quitur: Deus autem qui diues est misericordia, propter nimiam suam charitatem qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, cõuiuificauit nos Christo, cuius gratia salui facti sumus, & corresuscitauit, & considere fecit in cœlestibus in Christo Iesu. Gratia enim estis saluati per fidem, & nõ hoc ex uobis: Dei enim donum est, nõ ex operibus, ne quis glo-

rietur

rietur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit deus ut in illis ambulemus. Proprium ergo hoc habet noua creatura per gratiam, ut qui figmentum dei sunt, qui natiuitate cœlesti conduntur in Christo, non ocio torpeant, nec desidia resoluantur, sed de uirtute in uirtutem proficiant per uiam bonorum operum ambulãdo, hoc est enim fingi, hoc de uetere creatura nouam fieri, hoc de imagine terreni hominis ad imaginẽ cœlestis hominis reformari. Quod totum siue palàm per cooperatores gratiæ, siue occultè per subministrationem spiritus, ille inchoat, ille auget et perficit, cuius agricultura, cuius ædificatio, et cuius figmentũ sumus.

CAPVT .IX.

ABVNDE, quantũ arbitror, his testimonijs (quãuis et alia documẽta aggregari potuerint) demõstratum est, fidem, qua iustificatur impius, nisi ex dei munere non haberi, eamq; nullis meritis præcedentibus tribui, sed ad hoc donari, ut principium possit esse meritorum, & cum ipsa data fuerit, non petita, ipsius iam petitionibus bona cætera cõsequantur. Vnde itaq; quædam de plurimis assumenda sunt testimonia, quæ in diuersitate donorũ ostendant gratiæ largitatem. Ex deo itaq; esse, ut homo uiam dei eligat, &

ut ſurgat à lapſu, Pſalmus Dauidicus canit dicens:
Pſal.36. A domino greſſus hominis dirigentur, & uiam eius uolet. Cum ceciderit, non collidetur, quia dominus ſupponit manum ſuam. Item idem, quod duce deo ueniatur ad deum: Emitte lucem tuam & ueritatem
Pſal.42. tuam, ipſa me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuum, et in tabernacula tua. Item quod in domino ſit hominis fortitudo, & dei uoluntas præueniat liberandum: Fortitudinem, inquit, meam
Pſal.58. ad te cuſtodiam, quia deus ſuſceptor meus, deus meus, uolũtas eius præueniet me. In Prouerbijs quoq; legimus de ſapientia & intellectu: Quoniam dominus
Pro.2. dat ſapientiã, & à facie eius ſcientia & intellectus. Item in eodẽ libro de diſpenſationibus ſapiẽtiæ dei, ſine qua nullæ rectæ ſunt actiones, ita dicitur: Meum
Pro.8. conſilium, & mea tutela, ego prudentia, mea autem uirtus. Per me reges regnant, & tyranni per me obtinent terrã. Item alibi, quod nemo poſſit recte incedere niſi domino dirigente: A domino corrigũtur greſ
Prou.20. ſus uiri, mortalis autem quomodo intelligit uias ſuas? Item alibi: Omnis uir uidetur ſibi iuſtus, dirigit au
Prouc.21. tem corda dominus. Et infra: Præparatur uoluntas à domino. Item ibidem de cogitatione atque conſi-
Prou.19. lio: Multæ cogitationes in corde uiri, conſilium autem domini obtinet. In libro uero Eccleſiaſte dicitur, quod & habere neceſſaria, & eis bene uti, donũ ſit dei:

ſit dei: Nõ eſt, inquit, bonum homini niſi quod man dat & bibit, & oſtendit animæ ſuæ bonum in labore ſuo. Et quidem hæc uidi ego, quia à manu dei eſt. Quoniam quis mãducauit aut paſcet abſq; illo? Item in eodem libro legitur, quod corda & opera iuſtorum in manu ſint dei, & tantum in ſtudijs ſuis proficiant, quantum ille donauerit: Quantumcunq; laborauerit homo ut quærat, inueniet, & quodcunq; dixerit ſapiens ut ſciat, nõ poterit inuenire, quia uniuerſum hoc dedi in cor meum, & cor meum uniuerſum hoc uidit, quia & iuſti & ſapientes & operationes eorum in manu dei. In libro autem Sapientiæ de eodem gratiæ opere ita dicitur: Quoniam ipſe & ſapientiæ dux eſt, & ſapientum emendator. In manu enim illius & nos & ſermones noſtri, & omnis ſapientiæ & operum ſcientia & diſciplinæ. De continentia quoq; quod ex dei habeatur munere, eadem ſcriptura ſic loquitur: Vt ſciui quia aliter non poſſum eſſe cõtinens, niſi deus det: & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cuius eſſet hoc donum. Cui ſententiæ Pauli Apoſtoli doctrina concordat in prima ad Corinthios hæc ſcribentis: Volo autem omnes homines eſſe ſicut meipſum, ſed unuſquiſq; proprium habet donum ex deo, alius ſic, alius uero ſic. Dominus uero in Euangelio ſecundum Matthæum hæc de continentiæ dono inſinuaſſe narratur. Dicẽtibus nanq; diſcipulis ſuis:

Eccle. 7.

Eccle. 9.

Sapi. 7.

Sapi. 8.

1. Cor. 7.

Matt. 19.

Si ita est causa uiri cum uxore, non expedit nubere. Dicit illis Iesus: Non omnes capiunt uerbum istud, sed quibus datum est à patre meo. De timore dei & sapientia ita in Ecclesiastico legitur: Corona sapien
Eccl'a.1. tiæ timor domini, utraq; autem dona sunt dei. Item
Eccl'a.25 in eodē: Timor domini super omnia se superposuit, beatus cui donatum est habere timorem domini. Esaias quoque de diuitijs spiritalibus, quarum author est
Esa.33. dominus, ita loquitur: In thesauris salus nostra aduenit, sapientia & pietas & disciplina à domino, hi sunt thesauri iustitiæ. Item de altitudine diuitiarū sapientiæ & scientiæ dei, cuius bonitas nullius meri
Esa.40. to præuenitur, hæc dicit: Qui mensus est manu aquā, & cœlum palmo, & uniuersam terram pugillo, qui statuit montes in libra, & rupes in statera. Quis cognouit sensum domini, aut quis eius fuit consiliarius, qui instruat eum, aut quem consuluit, & instruxit eum, uel quis ostendit ei iudiciū, aut uiam prudentiæ quis ostēdit ei, uel quis prior dedit ei, et retribuetur illi? Vnde & in libro Iob secundum eundem sen
Iob, 41. sum leguntur domini uerba dicentis: Quis ante dedit mihi, ut retribuā illi? Omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt. Hieremias uero qđ à deo sit homini recta
Hiere.10. sapientia, sic profitetur: Scio domine, quia nō est in homine uia eius, nec uiri est ut dirigat iter suū. Itē qđ ad deū cōuersio cordis ex deo sit, p ipsum dominus pro

stau

ſtatur & dicit: Reſtituam illos in terram iſtam, & reædificabo, & non deſtruam, & plantabo eos & non euellam, & dabo illis cor ut ſciant me, quia ego ſum dominus, & erunt mihi in populum, & ego ero illis in deum, quia conuertentur ad me ex toto corde ſuo. Item idem prædicans quod ut deus cognoſcatur, ex deo ſit: Et ſcient, inquit, quia ego dominus deus illorum, & dabo illis cor cognoſcendi me, & aures audiẽdi. Quod autẽ omne uerbum bonum & omne opus ſanctũ ſubminiſtratio ſit ſpiritus ſancti, ſine quo nihil recte agatur, in prima ad Corinthios Paulus Apoſtolus docet, dicens: Ideo notum uobis facio, quod nemo in ſpiritu dei loquens, dicit anathema Ieſu. Et nemo poteſt dicere dominum Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto. Diuiſiones uero gratiarũ ſunt, idem autẽ ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem dominus: & diuiſiones operationum ſunt, idem uero deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alteri fides in eodẽ ſpiritu, alij gratia ſanitatum in uno ſpiritu, alij prophetatio, alij diſcretio ſpirituũ, alij genera linguarũ, alij interpretatio ſermonum. Hæc autẽ omnia operatur unus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis Hier. 24. 1. Cor. 12.

prout uult. Tantum uero unumquenque habere gratiæ, quãtum dominus donauerit, idem Apoſtolus ad
Ephe. 4. Epheſios, ait: Vnũ corpus & unus ſpiritus, ſicut uocati eſtis in una ſpe uocatiõis ueſtræ, unus dominus, una fides, unũ baptiſma, unus deus & pater omnũ, qui ſuper omnes eſt, & ſuper omnia, & in omnibus nobis. Vnicuiq; autem noſtrũ data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti, propter quod dicit: Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatẽ, dedit dona hominibus. Item idem in ſecunda ad Corinthios dicit, quod ne ad cogitandum quidem quod ſpiritale eſt, idonei ſimus niſi per gratiam dei: Fidu
2. Cori. 3. ciam autem talem habemus per Chriſtum ad deum, non quod ſufficientes ſimus aliquid cogitare à nobis, quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia nobis ex deo eſt, qui & idoneos fecit nos miniſtros noui teſtamenti, non litera, ſed ſpiritu. Litera enim occidit, ſpiritus autem uiuificat. Et iterum in eadem Epiſtola docens bonorum operum affectum & ſufficientiam à
2. Cor. 9. dei gratia miniſtrari: Potens eſt autem, inquit, deus omnem gratiã abundare facere in uobis, ut in omnibus per omnia ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, ſicut ſcriptũ eſt: Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in æternum. Qui aũt miniſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ ueſtræ

tiæ uestræ, ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatẽ. Ad Ephesios uero scribẽs Apostolus docet, quod omnia bona quibus placetur deo, dona sint dei, & quod ab ipso peti oporteat, ut ea nõ habẽtibus tribuat. Huius rei, inquit, gratia flecto genua mea ad patrẽ domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, ut det uobis secundum diuitias gloriæ suæ uirtutem, corroborari per spiritum eius in interiore homine, habitare Christum per fidem in cordibus uestris, in charitate radicati & firmati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, sublimitas & profundum, supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem dei. Ei autem qui potens est omnia facere superabundantius quàm petimus aut intelligimus, secundum uirtutem, qua operatur in nobis, ipsi gloria in ecclesia & in Christo Iesu, in omnia secula seculorum, amen. Omnis autem boni deum esse authorem, cuius dona nec incerta sint nec mutabilia, sed ex æterna uolũtate uenientia, Iacobus Apostolus ita loquitur: Nolite errare fratres mei dilecti. Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est descendens à patre luminum, apud quẽ non est trãsmutatio, nec uicissitudinis obumbratio. Volũtarie enim genuit nos uerbo ueritatis, ut simus Ephe. 3. Iaco. 1.

initium aliquod creaturæ eius. Cui & Zacharias
Zach. 9. propheta cõcinit, dicẽs: Saluabit dominus in die illo
sicut oues populum suum: quoniã lapides sancti uol-
uuntur super terrã ipsius. Quia si quid bonũ, ipsius
est: & si quid optimum, ab ipso est. In Euangelio
uero secundum Matthæum, quod scientiæ & intelle-
ctus dona sint dei, quæ quibus uoluerit, largiatur,
Matt. 13. ita dicitur: Tunc accedentes discipuli eius, dixerũt:
Quare in parabolis loqueris ad eos? At ipse respon-
dens, ait illis: Quia uobis datum est nosse mysteria
regni cœlorũ, illis autẽ non est datum. Ioannes quoq;
Euangelista pronunciat, neminem aliquid boni ha-
bere, nisi quod desursum acœperit, dicens: Non po-
test homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de
cœlo. In eiusdem uero Euãgelio, doctrina est ipsius
ueritatis, quod nemo ueniat ad filium, nisi attractus
à patre, quia uenturũ deus & intelligentem & obe-
Ioan. 6. dientem facit. Nemo, inquit, potest uenire ad me, ni-
si pater qui misit me, attraxerit eum, & ego resusci-
tabo eum in nouissimo die. Scriptũ est enim in pro-
phetis: Et erunt omnes docibiles dei. Omnis qui
audiuit à patre, & didicit, uenit ad me. Et infra:
Propter hoc dixi uobis, quia nemo potest uenire ad
me, nisi datum fuerit ei à patre meo. In fide autem
& in operibus bonis proficere ac perseuerare usque
in finem, muneris atque auxilij esse diuini, san-

ctarum

ctarum ſcripturarum confirmat authoritas. Etenim
ſcribens Paulus Apoſtolus Philippenſibus, ait: Con Phil. 1.
fidens hoc ipſum, quia qui cœpit in uobis opus bo-
num, perficiet uſque in diem Chriſti Ieſu. Huius au-
tem teſtimonij uirtutem quidam uolens ad ſui ſen-
ſus prauitatem conuertere, ita quod dictum eſt:
qui cœpit in uobis: uolebat intelligi, quaſi dic-
tum eſſet, qui cœpit ex uobis, ut & initium & con
ſummatio operis non ad deum, ſed ad hominem re-
ferretur, qui & incipere, & perficere uoluiſſet.
Sed hanc inſaniſſimam ſuperbiam, in eadem Epi-
ſtola excellentiſſimus gratiæ prædicator elidit, di-
cens: In nullo terreamini ab aduerſarijs, quæ eſt il- Ibidem.
lis cauſa perditionis, uobis autem ſalutis, & hoc à
deo. Quia uobis donatum eſt pro Chriſto, non ſo-
lum ut in eum credatis, ſed etiam ut pro illo patia-
mini. Et iterum: Cum metu, inquit, & tremore ue- Phil. 2.
ſtram ſalutem operamini: deus eſt enim qui opera-
tur in uobis & uelle & perfiere pro bona uolũtate.
Item in prima ad Theſſalonicenſes docet ex deo eſſe
principiũ & profectũ, cõſummationemq; uirtutũ,
dicens: Ipſe autem deus & pater noſter, et dominus 1. Theſ. 3.
Ieſus dirigat uiam noſtram ad uos: uos autem do-
minus multiplicet, & abundare faciat charitatem
in inuicem & in omnes, quemadmodum & nos
in uos ad confirmanda corda ueſtra ſine quærela
in ſancti-

in ſanctitate uitæ ante deum, & patrem noſtrum in aduẽtu domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus ſanctis eius. Ad Corinthios quoque ſcribens, & omnium uirtutum proficientem perſeuerantiã dei donũ eſſe commendans: Gratias, inquit, ago deo meo ſemper pro uobis in gratia dei, quæ data eſt uobis in Chriſto Ieſu, quia in omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni uerbo & ſapientia, ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in uobis, ita ut nihil uobis deſit in ulla gratia, expectantibus reuelationem domini Ieſu Chriſti, qui et confirmabit uos uſque ad finem ſine crimine, in diẽ aduẽtus domini noſtri Ieſu Chriſti. Item ad Romanos de charitate Chriſti, qua eos quos diligit, inſeparabiles facit, id eſt, uſq; in finem perſeuerãtes. Nam quid eſt aliud perſeuerare, quam tentatione non uinci? Quis nos, inquit, ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculũ? an gladius? ſicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificamur tota die, exiſtimati ſumus ſicut ouis occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus per eum qui dilexit nos. Itẽ ad Corinthios de uictoria, quam perficit Chriſtus: Stimulus, inquit, mortis peccatum eſt, uirtus uero peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis uictoriam per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum. Item ad Theſſalonicenſes de perſeuerantia quam deus tribuit:

1. Cor. 15.

Rom. 8.

Pſal. 43.

1. Cor. 1.

tribuit: Ipſe autem, ait, deus pacis ſanctificet uos per omnia, ut integer ſpiritus ueſter & anima et corpus ſine querela in aduentum domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur. Fidelis eſt qui uocauit uos, qui etiam faciet. Item ad Theſſalonicenſes, quod omnia bona noſtra, ſiue in operando ſiue in loquẽdo, & in eis perſeuerantia, dona ſint dei, ita prædicat, dicens: Ipſe autem dominus noſter Ieſus Chriſtus, & deus & pater noſter qui dilexit nos, & dedit conſolationẽ æternam, & ſpem bonã in gratia, exhortetur et corda uestra, & cõfirmet in omni opere et ſermone bono. De cætero fratres orate p nobis, ut ſermo domini currat & clarificetur, ſicut & apud uos, et ut liberemur ab importunis hominibus & malis. Non enim omniũ eſt fides. Fidelis autem deus eſt, qui & confirmabit uos & cuſtodiet à malo. Petrus quoque Apoſtolus, unde eſſe uirtutem perſeuerãtiæ doceat, audiamus: Deus autẽ, inquit, omnis gratiæ, qui uocauit nos in æternã ſuã gloriã in Chriſto Ieſu modicũ paſſus ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitq;, cui eſt uirtus & poteſtas in ſecula ſeculorum. Ioannes uero Apoſtolus, quod uictoria ſanctorum opus dei ſit habitantis in ſanctis, ita loquitur: Vos ex deo eſtis filioli, & uicistis mundum, quoniam maior eſt qui in uobis eſt, quàm qui in mundo. Item idem: Omne quod natum eſt ex deo, uincit mundum, & hæc eſt uictoria, quæ uincit

1. Theſ. 5.

2. Theſ. 2

Ibidẽ. 3.

1. Petri. 5.

1. Ioan. 4.

1. Ioan. 5.

uinat mundum, fides nostra. In Euangelio autem se-
cundum Lucam, deum dare ut in fide perseueretur,
Luce. 22. ita promitur: Dixit autē Iesus Petro: Simon Simon
ecce Sathanas postulauit, ut uos æneret sicut tri-
cum. Ego autē rogaui pro te Petre, ne deficiat fides
tua, & tu conuersus confirma fratres tuos, et roga,
ne intretis in tentationem. In Euangelio quoque Io-
annis, de ouibus Christi, quæ de manu ipsius a nullo
Ioan. 10. rapiuntur, hæc legimus dicere ueritatē: Sed uos non
creditis, quia non estis de ouibus meis. Oues meæ uo-
cem meam audiunt, & ego noui illas & sequuntur
me, & uitam æternam do illis, & non peribunt in
æternū, nec quisquam rapiet eas de manu mea. Item
in eodem Euangelio, de his quos pater dat filio, qui
& omnes ueniunt ad filium, & quorum nullus pe-
Ioan. 6. rit, hæc ipsius domini ore dicuntur: Omne quod dat
mihi pater, uenit ad me, & eum qui uenit ad me, nō
eijciam foras, quia descendi de cælo, non ut faciam
uolūtatem meam, sed uoluntatem eius, qui misit me
patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo
quicquā, sed resuscitem illud in nouissimo die. Mul-
ta sunt alia in canonicarum serie scripturarum, quæ
uitandæ prolixitatis studio prætermisimus, quoniā quæ
assumpsimus, nec pauca sunt, nec obscura, nec le-
uia, quibus plenissime declaratur, oīa quæ ad pro-
merēdam uitam æternam pertinent, sine gratia dei

nec

nec inchoari, nec augeri posse, uel perfici. Et contra omnẽ electionẽ de libero arbitrio gloriantẽ, illã in uictissime renitũ sententiã, dicẽtis Apostoli: Quis enĩ te discernit? Quid autẽ habes quod nõ accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Igitur profunditas illius quæstionis, quam secundum admirationẽ Apostoli impenetrabilẽ confitemur, p liberi arbitrij uelle et nolle nõ soluitur. Quia licet insit homini bonum nolle, tamen nisi donatũ, nõ habet bonum uelle: & illud cõtraxit natura per culpã, hoc recipit natura per gratiam. Sed quid illud sit, quod hæc eadem natura in omnibus hominibus ante reconciliationem mala, in omnibus misera, non in omnibus iustificatur, & à percuntibus quadam sui parte, discernitur ab eo quod uenit quærere & saluare quod perierat, humano sensu prorsus non potest indagari. Quantumlibet enim impiorum malignitas accusetur, resistens gratiæ dei, nunquid probabuntur eam, quibus est collata, meruisse? aut illa uirtus gratiæ, quæ sibi quos uoluit, subdidit, conuertere eos, qui inconuertibiles permansere, non potuit? Tales fuerunt qui sunt attracti, quales hi qui in sua duricia sunt relicti. Sed illis tribuit gratia stupenda quod uoluit, istis tribuit ueritas iusta quod debuit, ut iudicium dei magis inscrutabile sit in electione gratiæ, quàm in retributione iustitiæ. 1. Cor. 4.

tiæ. Veruntamen ne illa pars fidei, qua pie credimus deū uelle, ut omnes homines ueritatis agnitione ſal uentur (per hoc quod de effectibus gratiæ euidenter oſtenditur) infirmata uideatur, annitendū eſt auxi liante Chriſto, ut nobis ſtabilitas huius diffinitionis appareat. Sed quia neceſſariæ inquiſitionis negoti nō leuem operā ſibi poſcit impendi, ſecuturā diſpu tationē ab exordio alterius uoluminis inchoemus.

Sancti Ambroſij Epiſcopi de uocatione gentium, Liber primus explicit.

CApitulorum libri ſecundi de uocatione omnium gentium Sancti Ambroſij Epiſcopi, recollecta annotatio.

I Quod tria ſint quibus in quæſtione ſuperius diſputata inhæreri debeat. Quodq; deus iuſtus ſit ordinator, & (quemadmodum ſecundum ea, quæ prædicatoribus à domino iuſſa ſunt) nullarum nationū facta ſit diſcretio, nemoq; ſit exceptus, ſed ad omnes homines miſſum ſit Euangelium, et gratia ſalutaris dei omnibus hominibus apparuerit. Et de myſterio eius quod dictum fuit Apoſtolis: In uiam gentium ne abieritis &c. ac de occultis dei iudicijs in hominum uocatione.

Quod

Quod ad ipſam cognitionem ueritatis & perœptionem ſalutis, non quiſquam ſuis meritis, ſed ope & opera diuinæ gratiæ perueniat. 2

De conſyderatione differentiarum, quibus diuinæ gratiæ opera & dona uariata ſunt. 3

Quod auerſio à deo nõ ſit diuinæ conſtitutionis, ſed propriæ uoluntatis. 4

Quod etiam ante aduentũ Chriſti, nationes, quæ dienatæ à conuerſatione Iſraël, ſpem nõ habebant, ob hoc nõ ſint excuſabiles. Et quomodo propter perſecutiones bonorũ Chriſtus populũ ſuum auxerit. 5

Quod Chriſtus pro omnibus impijs & peccatoribus mortuus fuerit. 6

Quomodo myſterium uocationis gentiũ prophetis fuerit cognitum & Apoſtolis. 7

Quare tanta multitudo nõ regeneratorum infantium à perpetua alienetur ſalute. 8

Quomodo gratia tanquam famulam & receptricem donorum ſuorum præparet uoluntatem. 9

De recapitulatione in hoc ſecundo libro diffinitorum, & operis concluſione, quemadmodum uideliçet deus omnes homines uelit ſaluos fieri. 10

DIVI AMBROSII EPISCOPI DE VOCATIONE OMNIVM GENTIVM LIBER .II.

In quo firmissimis argumentis stabilit ea quæ circa quæstiones in superiori libro disputatas definita sunt.

CAPVT .I.

REMOTIS abdicatis'que omnibus cõcertationibus, quas intemperantiũ disputationum gignit animositas, tria esse perspicuũ est, quibus in hac quæstione, de qua secundum uolumen inãpimus, debeat inhæreri. Vnum quod profitendum est: Deum uelle omnes homines saluos fieri, & in agnitionem ueritatis uenire. Alterum quod dubitandum non est: Ad ipsam cognitionem ueritatis & perceptionem salutis, non suis quenquam meritis, sed ope atque opere diuinæ gratiæ perucnire. Tertium quod confitendum est: Altitudinem iudiciorum dei humanæ intelligẽtiæ penetrabilem esse non posse: Et cur non omnes saluet, qui omnes uult saluos fieri, non oportere disquiri.

Quoniam

Quoniam si quod cognosci non potest, non quæratur, inter primam ac secundam definitionem non remanebit causa certaminis, sed secura ac tranquilla fide utrunque prædicabitur, utrunque credetur. Deus quippe, apud quem non est iniquitas, & cuius uniuersæ uiæ misericordia & ueritas, omnium hominum bonus conditor, iustus est ordinator, neminem indebite damnãs, neminẽ indebitæ liberãs: nostra plectens, cũ punit noxios: sua tribuens, cum facit iustos, ut obstruatur os loquentiũ iniqua, & iustificetur deus in sermonibus suis, et uincat cũ iudicatur: Nec damnati iusta querimonia, nec iustificati uecors est arrogantia, si uel ille dicat nõ meruisse se pœnã, uel iste asserat meruisse se gratiã. Sicut autẽ ea quæ ad manifestationẽ gratiæ ex diuinis pferũtur eloquijs, nulla possunt ratione disserendi arte uiolari, ut perfectæ cõsonantesq; in tãta numerositate sententiæ ad aliqd̃ prauæ interpretationis trahãtur martũ, ita etiã quod de saluatione omniũ hominũ in eodẽ scripturarũ corpore reperitur, nulla cõtraria argumentatione temerãdum est: ut quanto hoc ipsum difficiliore intellectu capitur, tanto fide laudabiliore credatur. Magna enim fortitudo est consensionis, cui ad sequendam ueritatẽ authoritas sufficit, etiã latẽtæ ratione. Proinde uigilanter consyderemus, prædicatoribus Euangelij quid à domino iubeatur. Secundum Matthæum quip-

Matt.28. pe sic ait: Data est mihi potestas omnis in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, docẽtes eos seruare omnia quæcunq; mandaui uobis: Et ecce uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Secundum Marcum uero eis-
Mar.16. dem Apostolis ita dicitur: Ite in orbem uniuersum, prædicate Euangelium uniuersæ creaturæ, & qui crediderit, & baptizatus fuerit, ipse saluus fiet: qui uero non crediderit, damnabitur. Nunquid hac præceptione ullarum nationum, ullorum'ue hominum, facta discretio est? Neminem merito excepit, neminem separauit genere, neminem conditione distinxit. Ad omnes prorsus homines missum est Euangelium cruds Christi. Et ne prædicantium ministeria humano tantũ uiderẽtur opere peragẽda, Ecce ego, inquit, uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. Id est, cum sicut oues introieritis in medio luporũ, nolite de uestra infirmitate trepidare, sed de mea potestate confidite, qui uos usque ad consummationem seculi in omni hoc opere non derelinquam. Nõ ad hoc ut nihil patiamini, sed quod multo maius est, præstiturus ut nulla sæuientiũ crudelitate superemini. In mea enim potestate prædicabitis, et per me fiet, ut intercõtradicentes, inter furẽtes, Abrahæ filij de lapidibus suscitentur. Ego insinuabo quod

doceri,

docui, ego faciam quod promisi. Tradent enim uos in consilijs, in synagogis suis flagellabunt uos, & ante reges & præsides stabitis propter me in testimonium illis & gentibus. Cum autem tradent uos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Non Matt. 10. enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis. Tradet enim frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient. Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Qui autem perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit. Apparuit ergo (ut Apostolus ait) gratia salutaris dei omnibus hominibus, & tamen ministri gratiæ odio erant omnibus hominibus. Et cum alij essent qui oderant, alij qui odijs persequentium premebantur, neutra tamen pars nuncupatione omnium hominum priuabatur, habente quidem salutis suæ damnum, rebellium portione, sed optinente plenitudinis censum, fidelium dignitate. Dicit enim Ioannes 1. Ioan. 2. Apostolus: Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, nõ pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Magni autem et inenarrabilis sacramenti mysteriũ est, quod prædicatoribus, quibus dictum est: Ite in orbem uniuersum, Mar. 16. & prædicate Euangelium uniuersæ creaturæ, ijsdẽ

Matt.10. prius dictum fuerat: In uiam gẽtium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne introieritis, sed potius ite ad oues quæ perierunt domus Israël. Quamuis enim ad omnium hominum uocationem Euangelium dirigeretur, omnesq; dominus saluos fieri, et in agnitionem ueritatis uellet uenire, non tamen sibi dispensationum suarum abstulerat potestatem ut aliter quã occulto iusto q; iudicio statuerat, consilij sui ordo decurreret. Vnde locum non habent contumacium murmura querelarum: quia quod deus fieri uoluit, constat non aliter fieri debuisse quàm uoluit. Posteriore uero tempore, cum iam dominus Iesus in dei patris gloria consideret, & prædicatores uerbi suscepto negocio deserũrent, uolentes Apostoli Euangelizare uerbum in Asia, uetiti sunt ab spiritu sancto, & di
Actis.16. sponentes ire in Bithyniam, prohibiti sunt ab spiritu Iesu, non utique negata illis populis gratia, sed quantum apparuit retardata. Nam postea etiam apud ipsos fides Christiana conualuit. Quæ autem fuerit differendæ uocationis causa, non claret, & tamen rei gestæ docemur exemplo, quod inter generalia, uel promissa, uel opera, uel præcepta, quædam deus à communibus exceptà causis, occultiore nouit ordinare ratione. Credo ut interpositis quibusdam obumbrationibus, ea quæ secretius micant, mirabilius innotescant, ne negligentior fiat acies de facilitate cernendi.

ærnendi,& quodammodo dormitet assuetis, si non excitetur insolitis. Has autem incognoscibiles illuminationum dilationes, inter quas utique multi in infidelitate deficiũt, non solum in populis remotioribus impiorum, sed etiam in ciuitatibus fidelium per plurimas domos ac familias nouimus fieri, dum Christianæ fidei etiam qui Christiani futuri sunt, aduersantur. Multi enim quod oderunt, amabunt: quod non recipiunt, prædicabunt. Et quis inter hæc querulis aut curiosis notum faciet, cur adhuc sol iustitiæ quibusdam gentibus non oriatur, & à tenebrosis cordibus, etiam nunc radios suos ueritas reuelanda contineat? Cur corrigendi tam diu sinantur errare, & quod senibus in fine præstandum est, per tam longam nõ tribuatur ætatem? Cur filijs iam in Christum credẽtibus, nec dum credant parentes? Et rursum à religiosis parentibus soboles praua discordet? Cum tamen deo (qui initiorum fidei, incrementiq; largitor est) secundũ ipsius præceptũ quotidie pro omnibus supplicetur, ut etsi exaudit, nota sit gratia miserationis: & si non exaudit, intelligatur iudiciũ ueritatis. Sed ne in præteritis quidem seculis hæc eadẽ gratia, quæ post domini nostri Iesu Christi resurrectionẽ ubiq; diffusa est, & de qua scriptũ est: Illuxerũt corruscationes tuæ orbi terræ, defuit mundo. Quamuis enim speciali cura atque indulgentia Psal. 76.

dci populum Israëliticum constet electum, omnesq; aliæ natiõcs suas uias ingredi, hoc est, secundũ propriam permissæ sint uiuere uoluntatem, nõ ita se tamẽ æterna creatoris bonitas ab illis hominibus auertit, ut eos ad cognoscendum se atq; metuendum, nullis significationibus admoneret. Cœlũ quippe ac terra & mare, omniscq; creatura, quæ uideri atq; intelligi potest, ad hanc præcipue dispositæ est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de cõtemplatione tot specierum, de experimentis tot bonorũ, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem sui
Act.17. imbuceretur authoris, implente omnia spiritu dei, in quo uiuimus, mouemur & sumus. Quoniã etsi longe est à peccatoribus salus, præsentia tamen saluris ipsius, ac uirtute, nihil uacuum est. Igitur siat dict
Psal.32. propheta: Misericordia domini plena est terra, quæ nullis unquam seculis, nullis generationibus defuit, camq; prouidentiam, qua uniuersitatem rerũ administrat & continet, regendis alendisq; naturis semper impendit, dispositum habens ex incommutabilis æternitate consilij, quibus quidq; temporibus distribueret, & multiformis gratiæ suæ inscrutabiles inuestigabilesq; mensuras, per quæ dona ac sacramenta uariaret. Siat enim ista gratiæ largitas, quæ in omnes gẽtes nouissime effluxit, nõ euacuet eam, quæ super unum Israël sub lege rorauit, nec præsentes diuitiæ

tes diuitiæ fidem præteritæ abrogant parcitati: ita nec de illa cura dei, quæ patriarcharũ filijs proprie præsidebat, conijciendũ est gubernacula diuinæ misericordiæ cæteris hominibus fuisse subtracta. Qui quidem in comparatione electorũ uidentur abiecti, sed nunquam sunt manifestis occultisq; beneficijs abdicati. Legimus enim in Actibus Apostolorum, Paulũ & Barnabam Apostolos Lycaonijs dicere: Viri quid hæc facitis? Et nos mortales sumus similes uobis homines, annunciantes uobis ab his uanis conuerti ad deum uiuum, qui fecit cœlum & terram & mare, & omnia quæ in eis sunt, qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi uias suas. Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda uestra. Quod est autem hoc testimoniũ, quod semper domino deseruiuit, & nunquam de eius bonitate ac potestate conticuit, nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum eius diues et ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, ut in paginis elementorum, ac uoluminibus temporum, cõmunis & publica diuinæ institutionis doctrina legeretur. Cœlum ergo cunctaq; cœlestia, mare & terra, omniaq; quæ in eis sunt, consono speciei suæ ordinationisq; cõcentu Act. 14.

protestabantur gloriã dei, & prædicatione perpetua maiestatẽ sui loquebantur authoris. Et tamen maximus numerus hominũ, qui uias uolũtatis suæ ambulare permissus est, nõ intellexit, nec secutus hãc legẽ est, & odor uitæ, qui spirabat ad uitam, factus est ei odor mortis ad mortẽ, ut etiã in illis uisibilibus testimonijs discerneretur, quod litera occideret, spiritus autem uiuificaret.

CAPVT .II.

QVOD ERGO in Israël per constitutionem legis & prophetica eloquia gerebatur, hoc in uniuersis nationibus totius creaturæ testimonia, & bonitatis dei miracula semper egerunt. Sed cum in illo populo (cui utraq; eruditio præfuit) nemo nisi gratia iustificatus sit per spiritum fidei, quis ambigat eos, qui de quibuscunq; nationibus quibuslibet temporibus deo placere potuerunt, spiritu gratiæ dei fuisse discretos? Quæ etsi parcior antea atque occultior fuit, nullis tamen seculis se negauit uirtute una, quantitate diuersa, consilio incõmutabili, opere multiformi. Nam & in his diebus quibus totum mundum ineffabilium donorum flumina rigant, nõ idem modus omnibus, nec eadem mensura confertur. Quamuis enim per ministros uerbi & gratiæ dei eadem cunctis ueritas prædicetur, eadem cohortatio

hortatio adhibeatur, dei tamen agricultura est, dei ædificatio, cuius uirtus inuisibiliter agit, ut incremento proficiat quod ædificatur aut colitur. Sicut attestatur Paulus Apostolus dicens. Quid igitur est Apollo? quid uero Paulus? Ministri eius cui credidistis, & unicuique sicut dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit, sed deus incremẽtum dedit. Itaq; neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat deus. Qui plantat autem & qui rigat, unum sunt. Vnusquisq; autem propriam mercedem accipiet secundũ suum laborem. Dei enim sumus adiutores, dei agricultura estis, dei ædificatio estis. Agriculturæ ergo huius atque ædificationis in tantum quisque adiutor & operarius ac minister est, in quantum unicuique dominus dederit. Et hi qui ministrorum labore excoluntur, ad eum proficiunt modum, ad quem illos incrementi author euexerit. In agro enim domini non uniformis, nec una plantatio est. Et quamuis in unum decorem totius templi structura conueniat, non idem tamen locus est, nec idem usus omnium lapidum, sicut & in uno corpore non omnia membra eundem actum habent, dicente Apostolo: Nunc autem posuit deus membra, & unumquodque eorum sicut uoluit. Hæc uero membra unde apta, unde utilia, unde sint pulchra, idem doctor exponit dicẽs: 1. Cor. 3. 1. Cor. 12.

Idco

Ibidem. Ideo notum uobis facio, quod nemo in ſpiritu dei lo
quens dicit anathema Ieſu. Et nemo poteſt dicere do
minum Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto. Diuiſiones ue=
ro gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus, & diuiſio=
nes miniſtrationum ſunt, idem autem dominus, &
diuiſiões operationũ ſunt, idem uero deus, qui ope/
ratur omnia in omnibus. Vnicuiq; autem datur ma/
niſeſtatio ſpiritus ad utilitatem: alij quidem per ſpiri
tum datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, ſe=
cundum eundem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiri
tu, alij operatio uirtutũ, alij prophetatio, alij diſcre/
tio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpre=
tatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur unus
atq; idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout uult. Hæc
magiſtro Gentium tanta luce, tanta euidentia prædi/
cante, qua ratione, qua cauſa dubitandum eſt? An
omnium nobis uirtutum germen ex deo ſit? uel quis
niſi inſipientiſſimus de differentia diuinorum mune
rum conqueratur? Aut imparibus aſcribendum meri
tis arbitretur, quod nõ æqualiter de ſuperna libera/
litate cõferatur? Si enim hæc diſtributio ſecundũ præ/
cedentium operum merita prouenire, non ipſorum
donorum catalogum tali concluſione Apoſtolus ter
I. Cor. 12. minaret, ut diceret: Hæc autẽ omnia operatur unus
atq; idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout uult. Vbi
utiq; ſi meritorum cauſas uoluiſſet intelligi, diceret:

Diuidens

Diuidens singulis prout merentur, sicut plantatoribus aut rigatoribus præmium deuotionis spopondit, dicens: Vnusquisq; autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. 1. Cor. 3. Datur ergo unicuiq; sine merito, unde tendat ad meritum: & datur ante ullum laborem, unde quisq; mercedem accipiat secundum suum laborem. Quod ita esse, etiam Euangelicæ ueritatis testimonio agnoscitur, ubi per comparationem dicitur: Quod homo peregre proficiscens, uocauit seruos suos, & tradidit illis substantiam suam, & uni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij uero unum, unicuique secundum propriam uirtutem, id est, secundum propriam & naturalem possibilitatem. Mat. 25. Non autem secundum proprium meritum: quia aliud est posse operari, aliud operari: & aliud est posse habere charitatem, aliud habere charitatem: & aliud est capacem esse cõtinentiæ, iustitiæ, sapientiæ, aliud uero esse continentem, iustum, atq; sapientem. Non itaq; omnis reparabilis reparatur, nec omnis sanabilis sanatus est: quia reparabilem & sanabilem esse, de natura est: reparatũ autẽ & sanatum esse, de gratia est. Deniq; istis quibus secundum modulum capacitatis suæ. quem in eis distributor substantiæ præuidebat, dispar creditus est numerus talentorum, non meriti remunerationem, sed operis accipere materiam. In qua duorũ seruorum

rum uigilantißima industria non ſolũ glorioſis laudibus honeſtatur, ſed etiã in æterna domini ſui gaudia intrare præcipitur. Tertij uero pigrũ ocium, & deſidioſa nequitia ſic punitur, ut & uituperationis dedecoretur opprobrio, & portione quã acæperat, exuatur. Dignus enim erat perdere inutilem fidem, qui nõ exercuerat charitatẽ. Vnde & in ſubſequenti ſermone (quo apertißime declaratur futuri forma iudicij) ſedente filio hominis in ſede maieſtatis ſuæ, antequã facta congregatione omnium gentium, alij ducuntur ad dexteram, alij ad ſiniſtram conſtituendi, laudatis dextris de opibus charitatis, nihil aliud ſiniſtris obijcitur, quàm miſericordiæ beneuolẽtiæq; neglectus. Acceperant ergo etiam iſti fidem. ſed non ſectati fuerant dilectionem. Nec de non ſeruato, ſed de nõ auctо munere damnantur. Quamuis enim omnia bona dona ſunt dei, à deo tamẽ quædam etiã nõ petita tribuũtur: ut per ipſa quæ accepta ſunt, ea quæ nondũ ſunt donata, quærantur. Semen quippe quod iacitur in terram, non ob hoc ſeritur ut ipſum ſolum maneat, ſed ut fructum afferendo, multiplex atque numeroſum ſit. Cui quidẽ profectus ab illo eſt, qui dat incrementum. Sed terra uiuens, & de gratia iam imbre fœcunda habet quod ab ipſa expectetur ad id quod accepit augendum.

Caput

CAPVT .III.

HIS RECTE (*ut arbitror*) quantum dominus tribuit pertractatis, ad id unde digressa est disputatio, reuertamur: Ad consyderationem scilicet differentiarũ, qbus diuinæ gratiæ opera ac dona uariata sunt. Altitudo quippe diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, cuius inscrutabilia sunt iudicia & inuestigabiles uiæ, sic semper misericordiam suam & iudicium temperauit, ut secretißima æterni consilij uoluntate, noluerit in omnibus super omnes generationes, aut super omnes homines, æquales donorum suorum esse mensuras. Si quidem aliter eos iuuerit, quos ad cognoscendũ se, cœli & terræ testimonijs conuenicbat. Aliter illos, quibus non solũ clementorum famulatu, sed etiam doctrina legis, prophetarum oraculis, miraculorum signis, & angelorum cooperationibus cõsulebat. Et multo magis aliter misericordiam suam uniuersis hominibus declarauerit, quando filius dei factus est filius hominis, ut inueniretur ab eis qui eum nõ quærebant: & appareret his, qui illũ nõ interrogabant. Et non in uno tantum populo Israëliticæ stirpis excelleret, sed in omni gente quæ est sub cœlo, multiplicatum Abrahæ semen oriretur, in quam hæreditatem successionem

non

non filij carnis, sed filij promißionis intrarent. Et quanta in præteritis seculis super cæteras nationes, tanta nunc esset in gente Iudæa parcitas gratiæ. Cum tamen introducta plenitudine gentium, etiam ipsorũ ariditati earundem rigationum inundatio spondeatur. Quæ itaque causa sint harum sub eadem gratia dißimilitudinum, quæ ue rationes, sanctis scripturis non loquentibus quis loquetur? Et cum in eis scientia Pauli Apostoli à disputatione transeat ad stupo rem, cuius erit tãta præsumptio, qui hæc disserendo existimet aperienda potius, quàm silentio miranda? Patienter igitur & æquanimiter ignoretur tam remotum ab humanà cogitatione secretum. Nec tamẽ quia nequeunt clausa penetrari, ideo etiam reseratorum est prætereundus introitus. Manifestauerunt enim diuinorum eloquiorum multæ authoritates, et continua omnium seculorũ experimenta docuerũt, iustam dei misericordiã, misericordemq; iustitiam nec alendis unquã corporibus hominum, nec docendis, iuuandisq; eorum mẽtibus defuisse. Semper etenim pluit super bonos & malos, semper solem suum oriri fecit super iustos & iniustos, semper uitales auras præbuit, semper diei et noctis uicissitudines ministrauit, ubertatem agris, multiplicationem seminibus, fœcunditatem generãdis hominibus semper impendit. Et si quãdo aliquid horum minuit, benigni-

Matth. 5.

correptio-

correptionibus auersionem desidiamq; male utentium castigauit, ut miserationes eius quærerent in aduersis, cuius iustitiam non timuerant in secundis. Deniq; si ad ipsa mundi exordia recurramus, inuenimus omnium sanctorum qui diluuium præcesserunt, dei spiritum fuisse rectorem, propter quod & filij dei nominati sunt. Quoniã sicut ait Apostolus: Quicunq; spiritu dei aguntur, hi filij sunt dei. Et cũ ijdem neglecta obseruantia patrum, illicitis se reproborum connubijs miscuissent, atq; ob nefariam societatem digni exterminio iudicarentur, dominus ait: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quoniam caro sunt. Vnde apparet quod iste populus, cuius generationes discreto ordine cum annorum numero digerũtur, spiritalis antea fuit, ea utiq; uolũtate cui spiritus sanctus præsidebat. Sic impendens moderaminis sui regimen, ut declinandi ad uitia nõ adimeret potestatem, qua potestate hic populus si non uteretur, non relinqueret deum, nec relinqueretur à deo, essetq; ille de quo dictum est: Felix qui potuit transgredi, & non est transgressus. Quam diu ergo apud deum mansit, ea uoluntate mansit, quam deus inspirauit & rexit. Præparatur enim (sicut scriptum est) uoluntas à domino. Sed huius præparationis non unus semper prouectus, nec una mensura est. Quoniam multis modis, & innumerabilibus

Roma.8.

Gene.6.

Eccle.31.

Psal.72.

differentijs gratiæ opera & dona uariantur, in quæ ipſis ſingulis generibus munerum diſſimiles ſunt gradus & impares quantitates. Sicut enim in germinibus herbarum atque lignorum quæ terra producit, non una ſpecies, nec unum in omnibus genus eſt, ſed ſingula quæq; in ſui ſeminis forma, & in ſuæ ſtirpis qualitate gignuntur, plenum autem decorem non ſtatim ut eduntur accipiunt, ſed certis & ordinatis proueniuntur augmentis, donec ad perfectam ſui habitus quãtitatem per ſuccedentia ſibi incrementa perueniant. Ita & ſemina chariſmatum plantæque uirtutum non in omni agro cordis humani totum boni pariter quod ſunt, futura naſcuntur. Nec facile reperitur in exordio maturitas, et in inchoatione perfectio. Exerit quidem frequenter potens & miſericors deus mirabiles iſtos ſuæ operationis effectus, & quibuſdam mentibus non expectata profectuum mora, totum ſimul quicquid collaturus eſt, inuehit.

Hebre. i. In Abrahæ lumbis Leui ſanctificatur, & ſimul cum eo domus Aaron & ſacerdotalis ordo benedicitur. In Iſaac de repromiſſione concepto, & contra ſpem ſterilium ſenum nato, omnium gentium uocatio, & tota Chriſti forma præconditur. Iacob nullo merito ſuffragante dilectus, priuſquã naſcatur eligitur. Hie

Hiere. i. remiæ dicitur: Priuſquã te formarem in utero, noui te, et priuſquã exires de uulua, ſanctificaui te. Ioãnes

intra

intra Heliſabet matris uiſcera ſpiritu ſancto repletus exultat, & ut nullus inter natos mulierum maior ſit, prius ſentit initia gratiæ quã naturæ. Sed cũ & alia ſimilium documentorũ exempla nõ deſint, quæ breuitatis ſtudio prætermimus, multo tamẽ crebrior, multoq; numeroſior pars illa hominum eſt, cui particulatim quicquid ſuperna largitas donat, accreſcit, ut conſerendorũ munerũ cauſæ, de his quæ ſunt collata, pariantur. Quidã accepta fide, diffidentia nõ carẽt. Quĩ utiq; ineſſe ſibi nouerat qui dicebat: Credo domine, adiuua incredulitatẽ meam. Quĩ nec illi abeſſe penitus à ſuis animis ſentiebant, qui dixerũt: Domine auge nobis fidem. Quidam quod credunt, non intelligunt, & multi eorum diu in ſuæ ſimplicitatis modulo detinentur. Multi uero cito intellectus lumen accipiunt. Ipſa autem intelligentia non in omnibus eundem habet uigorem, aut ſimilem facultatem. Et plurimi cum & fide & intellectu uideantur ornati, laborant tamen indigentia charitatis, & his quæ fide & intellectu uident, nequeunt inhærere: quoniam perſeuerari in eo non poteſt, quod non toto corde diligitur. Donũ quoq; ipſius charitatis nõ ſemper eiuſmodi eſt, ut quicquid ad plenitudinẽ ipſius pertinet, ſimul à percipiente ſumatur. Eſt enim amor qui poteſt alio amore ſuperari. Et ſæpe dilectio dei ex mũdi dilectione marceſcit, niſi ad eum feruorẽ ſpiritu ſanLuc. 1.

Mar. 9.

Luc. 17.

ctο inflammante profecerit, qui nullo extingui frigo re, nullo possit tẽpore languere. Cũ itaq; in hoc ine narrabili dono dei, omnium summa donorũ, & quae dam sit cunctarum uita uirtutum, ad hoc cætera con ferruntur, ut habeat animæ fidelis intentio, per quæ ad perfectam charitatem possit eniti. Quæ quoniam non solum ex deo, sed etiam deus est, stabiles & perseuerantes atq; insuperabiles facit, quos flumine suæ uoluptatis impleuerit. Qui autem istarum aquarum dulcedinem nesciunt, & adhuc de mundi huius torrentibus bibunt, aut etiam si aliquid primoribus labris de uitæ fonte gustauerunt, inebriantur mẽ aureo Babylonis calice delectantur, suo prorsus decipiuntur arbitrio, sua uoluntate labuntur: & si in hac desidia perseuerant, ipsi se his quæ accepere, dispoliant. Facile enim quælibet bona sine charitate possunt perire, quæ non poßunt sine charitate prodesse.

CAPVT .IIII.

HAEC AVTEM SVMMATIM breuiterq; perstricta ad id ualeant, ut certissime nouerimus nullum fidelium à deo non discedentem relinqui, neq; cuiusquam ruinam ex diuina esse constitutione dispositam. Sed multis, qui iam iudicio rationis utuntur, ideo liberum esse discedere,

discedere, ut nõ discessisse sit præmium. Et ut quod non potest nisi cooperante spiritu dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit uoluntate non fieri. Quæ uoluntas in malis actionibus sola esse potest, in bonis autem sola esse non potest. Quamuis enim secũdum naturam sit homini, ut bonæ sit uoluntatis, uitium tamen quod per malam uoluntatem irruit in naturam, non naturæ superatur uirtute, sed gratiæ. Regebatur ergo primus ille populus dei spiritu dei, et à maledicti ac prædãnati populi societate ac moribus per eruditionem sancti spiritus abstinebat, custodiens discretionem sui à permixtione carnalium, quorum mala tam diu sustinuit patientia dei, quàm diu boni per id quod eos non imitabantur, placere potuerunt. Vbi uero etiam boni malorum imitatione corrupti sunt, & per uolũtatis defectum in eandem nequitiam cõspirauit uniuersitas, quos, excepta Noe domo, una impietas prophanauit, sententia una delenit. Bonitas autem dei ne illi quidem parti defuit, quæ in charitate non stetit, & ab initio sui uenenо diabolici liuoris intumuit. Principem enim gentis impiæ, sancti fratris meritis inuidentem, cædemq; eius parricidali corde meditantem, dignatur dominus paterno mitigare consilio, dicens ad Cain: Vt quid tristis factus es? ut quid concidit uultus tuus? Nónne si recte offeras, recte autem non diuidas, Gene. 4.

peccasti? Quiesce. Ad te enim erit conuersio eius, & tu dominaberis eius. Depone, inquit, ortam de inuidiæ æmulatione tristitiam, & flammas odij cru delis extingue. Nihil tibi Abel nocuit, nec mihi pla/cendo te læsit. Despexi munera tua meo iudicio, non illius uoto. Opus enim bonum negligenter egisti: recta fuisset oblatio tua, si fuisset recta discretio. Sciens cui offerres, scire debueras quid uoueres. Nõ digne inter me & te diuisisti: quoniam tibi electio/ra seruasti. Tuus ergo hic error est, tuuḿq; pecca/tum, quiesce, & noli in insontem fratrem moueri: ad te potius tua culpa reuocetur. Noli peccato regnũ in te dare, sed tu potius in ipsum sume domina-tũ. Pœnitendo enim nec in maius facinus progredie ris, & abeo in quo te doles displicuisse, mundabe/ris. Cũ ergo talia ad Cain loqueretur deus, nunquid ambiguum est uoluisse eum (& quantum ad meden/di modum sufficiebat) egisse, ut Cain ab illo impie/tatis furore resipisceret? Sed malicia pertinax inde facta est inexcusabilior, unde debuit esse correctio-or. Et utiquæ præsciebat deus, ad quem finem insani/entis esset progressura conceptio. Neque ex eo quod falli scientia diuina non poterat, necessitate pec-candi urgebatur facinus uoluntatis, A' cuius utique intẽtione atq; effectu potuit incolumitas Abel illæsa defendi, nisi placuisset deo cũ magna laude patiẽtiæ

suæ, ut

ſuæ, ut temporalis furor impij fieret perpetuus honor iuſti. Poſteris uero iſtius fratricidæ, quãuis in progenitoris ſui moribus uiuerent, nunquam ſe diuinã bonitatem negaſſe, quis non facile aduertat, ſi conſyderet quantum eis prodeſſe potuerit tam longa patientia dei, tam diues bonorum temporalium copia, & multiplicatæ fœcunditatis tam numeroſa propagatio? Quæ beneficia licet obduratis nihil remedij & emendationis attulerint, probãt tamẽ auerſionẽ eorum nõ diuinæ fuiſſe cõſtitutionis, ſed propriæ uoluntatis. In conſeruatione autẽ Noẽ filiorumq; eius & nuruum, in quibus omnium gẽtium ſeminarium diſponebatur, quanta diuinæ gratiæ opera reuelata ſint ſancta ſcriptura manifeſtat, dum in illa mirandæ capacitatis arca, uniuerſi generis animalium (quantum reparationis aderat) receptrice congregatura ad ſe omne hominum genus eccleſia figuratur, dum per lignũ & aquã redẽptio crucis Chriſti, et ablutio regeneratiõis aperitur. Dũ in his q ex illa mũdi uaſtatiõe ſaluati ſunt, omniũ gẽtiũ plenitudo benedicitur. Dũ donũ fœcũditatis itꝛatur, & ſolo eſu ſuffocatorũ et ſanguinis interdicto, libertas edẽdi qđ placuerit, augetur: ſalutisq; ſecuritas in teſtimonio uerſicoloris arcus, hoc eſt, in ſigno multiformis gratiæ conſecratur. Quæ utiq; myſteria, atq; ſacramẽta nõ unius tantũ familiæ paucißimos tunc homines, ſed

in ipsis omnes eorum posteros imbuebant, ut quod eruditione impendebatur parentum, proficeret scientiæ filiorum. Iam uero procurrente humanæ propagationis augmento, cum ipsa mortalium numerositas de suis multiplicationibus superbiret, & secundum elationis suæ altitudinem, cœlo cuperet molem immodicæ instructionis inserere, quàm mirabilis ergo cohibendã hanc insolentiam fuit diuinæ censuræ iustitiæ? Quæ unam illorum populorum loquelam notis sibi inuicem significationibus consonantem, septuaginta & duarum liguarum uarietate confudit, ut & inter dissonas uoces operantium pereunte concordia, insanæ molitionis machina solueretur, & habitando orbi terrarum daret incolas malæ congregationis opportuna dispersio. In isto autem opere prouidentiæ dei præordinabantur miracula gratiæ Christianæ, quæ omnem hanc dispersionem in illius ædi-
Phil. 2. ficationis erat uocatura cõpagem, in qua omne genu flectitur dei, & omnis lingua confitetur, quoniã Iesus in gloria dei patris est. Hanc latitudinem gratiæ, in plenitudine dispositorum temporum reuelandæ, facta ad Abraham promissio dei, signis iam luculentioribus indicabat, quando duplex eius successio (filij scilicet carnis, & filij promissionis) multitudini arenarum comparabatur & syderum: & uir sexnex per annosam uxoris sterilitatẽ, ab spe iam prolis

lis alienus, credebat laudabili fide per germen unius filij patrem futurum esse se mundi, prospiciens illum in semine suo, immo conspiciens, qui dixit: Abrahã diem meum uidit, & gauisus est. Qua fide Abraham cum iustificaretur, nondũ mandatum circumcisionis acceperat, sed cum esset in præputio naturali, reputata est fides eius ad iustitiam. Et eadem fides signaculum circumcisionis acceperat in eo corporis membro, per quod semen procreationis peruenturũ erat ad eam carnem, in qua sine carnali semine dei filius deus, uerbũ caro fieret, ac de Abrahæ filia Maria uirgine nasceretur, assumptis omnibus in huius natiuitatis consortium, qui in Christo per spiritum sanctũ regenerati, qđ Abrahã credidit, credidissent. Ioan. 8.

CAPVT .V.

HAEC AVTEM fides antequam ueniret, hoc semen de quo Abrahæ dictum est: In semine tuo bendicentur omnes gentes terræ: intra unius stirpis populum cõtinebatur, uigente apud ucros Israëlitas spe redemptionis nostræ. Quoniam etsi fuerunt ex alienigenis quos tẽporibus legis ueritas illustrare dignata sit, tam pauci fuerunt, ut uix cognoscantur an fuerint. Nec; ob hoc excusabiles sint nationes, quæ alienatæ à conuersatione Israël spem non Gene. 12.

habentes, & ſine deo in hoc mundo ſub ignorantiæ tenebris perierunt: quia hæc abundantia gratiæ quæ nunc uniuerſum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit. Adhibita enim ſemper eſt uniuerſis hominibus quædã ſupernæ menſura doctrinæ: quæ etſi partioris occultioriſq; gratiæ fuit, ſufficit tamen ſicut dominus iudicauit, quibuſdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium, ut non dubie, ſed euidenter apparcat, quod niſi ubi abundauit peccatum, ſuperabundaret gratia, nunc quoque uniuerſum genus humanum ſimilis obcæcaret impietas. An forte (ut pleriquc garriunt) meliora quàm ueterum ingenia noſtris ſeculis orta ſunt, & aptiores diuinis donis animæ tempora extrema peperierunt? Quod etiam ſi ita eßet, ad bonitatem id referendum eſſet authoris, qui uocandis ad uitã æternã populis, ea quæ non retinerẽtur, cœrda finxißet. Sed nihil prorſus nouatum eſt in generatione carnali, nec generoſior auis, minorum orta ſucceſſio eſt, cum potius in hominibus illius temporis, quo mundi redemptor aduenit, quãto erat propago tardior, tãto ſit iniquitas inuenta robuſtior. Probauit hoc Iudaici furoris impietas. Et quàm apta Euangelio Chriſti fuerit illa generatio, non ſolum populi, ſed etiam ſcribarum & principum ac ſacerdotũ cœrda docuerunt. Quibus parum fuit in agnum dei, tollentem peccatũ mundi, contra teſtifica-

testificationem legis, contra oracula prophetarum, contra diuinarum experimenta uirtutum, seditionibus, contumelijs, sputis, alapis, colaphis, lapidibus, flagris, & ad postremum crucis atrocitate sæuisse, misi etiam testes resurrectionis eius eadem persequerentur insania. Quam Apostoli quando à pontificibus flagellati sunt, ostenderunt in Psalmo Dauidico prophetatum, dicētes: Domine tu es, qui fecisti cœlū & terram & mare, & omnia quæ in eis sunt, qui spiritu sancto per os patris nostri Dauid pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, et principes conuenerunt in unum aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Conuenerunt enim uere in ciuitate ista aduersus sanctum filium tuum Iesum (quem unxisti) Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israël facere, quæ manus tua & consilium decreuerunt fieri. Igitur ad manifestandam gratiam dei, quæ ex æterno eius incommutabiliq; consilio in salutem omnium gentium disponebatur, non priora quasi incapacia declinata sunt tempora, sed ista electa, quæ tales populos ediderunt, quorum ferox & uoluntaria iniquitas non consulendi affectu, sed intentione sæuiendi persisteret facere, quæ manus dei & consilium decreuerūt fieri, ut mirabilior esset gratia & potentia dei, quæ

Act. 4.

Psal. 2.

quæ de tam duris animis, tam tenebrosis mentibus, tam inimicis cordibus fecit sibi populum fidelē, subditum, sanctum, qui non per sapientiam huius mundi peruenit ad lumen sapientiæ dei, sed per illius donum de quo testatur Ioannes Apostolus, dicens: Sa-
1. Ioan. 5. mus, quia filius dei uenit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus uerū deum, et simus in uero filio eius. Cui testimonio Apostolus Paulus consonat dicens:
Col. 1. Gratias agentes patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de tenebris & de potestate tenebrarum, & transtulit in re-
Titum. 3. gnum filij dilectionis suæ. Et iterum idem: Eramus enim, inquit, aliquando insipientes, increduli, errantes, seruientes desyderijs et uoluptatibus uarijs, in malicia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Cum autem benignitas & humanitas apparuit saluatoris nostri, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis spiritus sancti, quē effudit in nos abunde per Iesum Christum saluatorē nostrum, ut iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem uitæ æternæ. Potuit ne plenius, lucu lentius, uerius explicari, quæ merita hominum Christus inuenerit, & quos sibi mores subiecerit, quæ ad se corda conuerterit, quando uenit mederi nō sanis,
Mat. 9. sed male habentibus, & uocare non iustos, sed peccatores?

tores? Quoniam gentium populus, qui sedebat in te- Esa. 9.
nebris, lucem uidit magnam, & sedentibus in tene-
bris & umbra mortis, lux orta est illis. Fremebant
gentes, irascebantur populi, sæuiebant reges, & po
testates cõtradicebant, superstitiones, et totius mun
di reluctabantur errores. Sed de resistentibus, furen-
tibus, persequentibus, populum suum Christus auge-
bat, & per uincula ac suppliciã mortesq; sanctorum
roborabatur fides, uincebat ueritas, perq; uniuersum
mũdum dominici agri segetis multiplicabatur uber-
tas. Tanta enim desuper præbebatur constantia fi-
dei, fiducia spei, fortitudo tolerantiæ, ut ille ignis di
lectionis, quem in cordibus fidelium spiritus sanctus
accenderat, nullo modo opprimentibus posset extin
gui. Cum & qui cruciabantur, uehementius inarde-
scerent, & qui sæuiebant, eandem quam perseque-
bantur flammam sæpe conciperent, qua beatus Apo
stolus Paulus ignitus, fideliter feruenterq; dicebat: Rom. 5.
Iustificati igitur ex fide pacem habeamus ad domi-
num nostrum Iesum Christum, per quem & acces-
sum habemus fide in gratiam istam, in qua stamus,
sed & gloriamur in spe gloriæ filiorum dei. Non so
lum autẽ, sed & gloriamur in tribulationibus, scien
tes quod tribulatio patientiam operatur, patientia
autem probationem, probatio uero spem, spes autem
nõ cõfundit, quia charitas dei diffusa est in cordibus
nostris

noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Et
Rom. 8. *iterum: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Sicut ſcriptum eſt:*
Pſal. 43. *Quia propter te mortificamur tota die, exiſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus per eũ qui dilexit nos. Certus ſum enim quia neque mors, neque uita, neque angeli, neque principatus, neque inſtantia, neque futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neque profundum, neq; creatura alia poterit nos ſeparare à charitate dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro. Hæc charitas diffuſa per ſpiritum ſanctum, fecit, ut mundus fidelium mundum uincæret impiorum. Hæc Neronis crudelitatem, Domitiani furorem, multorumq; poſt eos principum, glorioſo innumerabilium martyrum fine confudit, donante Chriſto imitatoribus ſuis, de perſecutionibus regum æternarum ſtemmata coronarum.*

CAPVT .VI.

NVLLA IGITVR *ratio dubitandi eſt, Ieſum Chriſtum dominũ noſtrum pro impijs & peccatoribus mortuum, à quorum numero liber inuentus eſt. Non eſt pro omnibus mortuus Chriſtus? Sed prorſus pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. Nemo ergo omnium*

go omnium hominum ante reconciliationẽ, quæ per Christi sanguinem facta est, non aut peccator aut impius fuit, dicẽte Apostolo: Si enim Christus cum adhuc infirmi essemus, iuxta tempus, pro impijs mortuus est? uix enim pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autẽ suam charitatem deus in nobis. Quoniam si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo magis iustificati sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati salui erimus in uita ipsius. Idem autem Apostolus in secunda ad Corinthios ait: Charitas enim Christi urget nos iudicãtes hoc, quoniã si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est, ut et qui uiuũt, iam nõ sibi uiuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. De seipso uero quid pronunciat, audiamus: Fidelis, inquit, sermo & omni acceptiõe dignus. Quia Christus uenit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiã cosecutus sum, ut in me primo ostẽderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui crediturí sunt illi in uitam æternam. Siue ergo circũcisio siue præputiũ, peccato uniuersaliter cõcludebatur, unusq; omnes reatus obstrinxerat, & inter

Rom. 5.

2. Cor. 5.

1. Tim. 1.

magis

magis minusq; impios nemo erat, qui posset absque Christi redemptione saluari. Quæ redẽptio uniuer/so sese intulit mundo, & omnibus hominibus indif/ferenter innotuit: quandoquidem in dic quinquages/imo ab illo pascha, in quo se hostiã deo uerus agnus obtulerat, cũ Apostoli et qui cum eis unanimes erãt, repleti spiritu sancto, linguis omnium gentium lo=querentur, conueniebat excita miraculo diuersi ge=neris hominum multitudo, ut Euangelium Christi
Act. 2. in eis qui aderant, totus mundus audiret. Conflux/erant autem (sicut scriptum est) Parthi & Medi, Ela mitæ, & qui inhabitant Mesopotamiam, Iudæam et Cappadociã, Pontũ et Asiam, Phrygiã & Pamphy liam, Aegyptum et partes Libyæ, quæ est circa Cyre nen, & aduenæ Romani, Iudæi quoque & Prosely/ti, Cretes & Arabes, audientes eorum linguis prædi cari magnalia dei, quorum testificatio etiam in cas gẽtes quæ remotiores sunt, longe lateq; proarreret. Ad cuius rei effectum credimus prouidentia dei, Ro mani regni latitudinem præparatam, ut nationes uo candæ ad unitatẽ corporis Christi, prius iure unius cõsociarentur impietatis. Quamuis gratia Christia na non contenta sit eosdem limites habere quos Ro ma, multosq; iam populorum sceptro crucis Christi illa subdiderit, quos armis suis ista nõ domuit. Quæ tamẽ per Apostolici sacerdotij principatum amplior

facta

facta est aræ religiõis, quàm solio potestatis. Quod si forte quemadmodũ quasdã gentes, quod nõ uolũt, in consortium filiorum dei nouimus adoptatas, ita etiam nunc in extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia saluatoris illuxit. Nõ ambigimus etiam circa illas occulto iudicio dei tempus uocationis esse dispositum, quo Euangelium quod nondũ uiderũt, audiãt atq; suscipiant. Quibus tamen illa mensura generalis auxilij, quæ desuper omnibus semper hominibus est præbita, nõ negatur. Quãuis tam acerbo natura humana uulnere saucia ta sit, ut ad cognitionem dei neminem contemplatio spontanea plene ualeat erudire, nisi obumbrationem cordis uera lux discussérit, quam inscrutabili iudicio deus iustus & bonus, nõ ita præteritis seculis quemadmodũ in nouissimis diebus effudit. Vnde et beatus Apostolus Paulus scribens Colossensibus, ait: Mysterium quod absconditũ fuit à seculis et generationibus, nunc autem manifestatũ est sanctis eius, quibus uoluit deus notas facere diuitias gloriæ sacramenti huius in gentibus, quod est Christus in nobis. Coloſ. 1.

CAPVT .VII.

QVNQVID hoc mysterium etiã prophetis incognitum fuit? & illi per quos spiritus sanctus loquebatur, ea quorũ ab

ipſis fiebant denunciationes, neſciebant? Non im
plane intelligendum puto, ſed ipſis gentibus abſcon-
ditum fuiſſe myſterium, quod dominus quando no-
luit & quibus uoluit, reuelauit. Nam de uocatione
Gentium, quæ non erant populus dei, & quibus pri-
us non miſertus eſt, nunc autem miſeretur, in Deu-
Deu.32. ronomio ita dicitur: Et uidit dominus et zælauit, &
iratus eſt propter iram filiorum ſuorum et filiarum,
& dixit: Auertam faciem meam ab eis, & oſten-
dam quid erit in nouiſſimo, quia generatio peruerſa
eſt filijs, in quibus non eſt fides in illis. Ipſi in zæ-
lum compulerunt me in hoc quod non eſt deus, irri-
tauerunt me in idolis ſuis. Et ego in zælum incitabo
eos in eis qui non erant gens, ſuper gentc inſipiente
irritabo eos. Et Dauid hæc de adoraturis deũ omni-
bus gentibus præcinit: Omnes gẽtes quaſcunq; feci-
Pſal.85. ſti, uenient & adorabunt coram te domine, & glo-
rificabunt nomen tuum. Et iterum idem: Et adora-
Pſal.71. bunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient
Ibidem. ei. Et iterũ: Benedicẽtur in ipſo omnes tribus terræ,
omnes gentes magnificabũt eũ. Eſaias quoq; ſimilia
Eſa.2. annunciat dicens: Quoniã erit in nouiſſimis diebus
manifeſtus mons domini, & domus dei in cacumine
montium, & exaltabitur ſuper colles, & uenient ad
eum omnes gentes. Et iterum idem: Et faciet, inquit,
dominus Sabaoth omnibus gentibus, in monte iſto

bibent

bibent in iucunditate uinum, ungentur unguento in monte isto, tradet hæc omnia gentibus, hoc enim consilium super omnes gentes. Et iterum idem: Et reuelabit dominus brachium suum sanctum in cōspectu omnium gentium, & uidebunt omnes gentes terræ salutem quæ à domino est. Et iterū: Ecce aduenæ ad te per me accedent, & ad te fugient. Et infra: Gentes quæ te non cognouerunt, inuocabunt te, & populi qui te ne sciunt, ad te confugient. Osee quoq; paria prophetat, dicēs: Et erit in loco in quo dictū est eis, non populus meus uos, ibi uocabuntur filij dei uiui, & congregabuntur filij Iudæ & filij Israël in idipsum. Et iterum: Miserebor non dilectæ, & dicam nō populo meo, populus meus es tu: & ipse dicet, deus meus es tu. Sub Apostolis uero, cū ij qui in Christum ex circumcisione crediderāt, eos qui gentiles erant, dicebanturq; præputium, iustificationū gratiæ arbitrarentur participes esse nō posse, docet beatus Apostolus Petrus quā indiscretus apud deū utrq; sit populus, si in unitatem fidei ambo cōuenerint. Cum autem (inquit) cœpissem loqui, decidit spiritus sanctus super eos, sicut et in nos in initio. Recordatus sum autem uerbi domini, sicut dicebat: Ioānes quidē baptizauit aqua, uos autem baptizabimini spiritu sancto. Si ergo eandem gratiam dedit illis deus sicut & nobis, qui credidimus in dominum Iesum Christum, ego

Osee. 1.

Osee. 2.

Actis. 11.

quis eram qui possem prohibere deum? His auditis tacuerunt & glorificauerunt deum dicentes: Ergo & gentibus deus pœnitentiam ad uitam dedit. Iacobus quoq; Apostolus de hac uacatione gẽtium dicit:

Actis.15. Viri fratres audite me: Simon narrauit quemadmodum primum deus uisitauit sumere ex gentibus populum nomini suo. Et huic concordant uerba prophetarum, sicut scriptum est:

Amos.9. Post hæc reuertar, & reædificabo tabernaculum Dauid quod cecidit, & diruta eius ædificabo, & erigam illud, ut requirant cæteri hominum dominum, & omnes gentes super quas inuocatum est nomen meum, dicit dominus faciens hæc, notum à seculo est domino opus suum. Sy-

Luce.12. meon quoq; ille cui responsum erat à spiritu sancto, non eum uisurum mortem priusquam uideret Christum domini, de salute omnium gentium quæ in Christo reuelabatur, hæc dixit: Nunc dimittis seruum tuum domine secundum uerbum tuum in pace. Quia uiderunt oculi mei salutare tuum: Quod parasti ante faciem omnium populorum: Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël. His & alijs testimonijs scripturarum non dubie demonstratur istam ditissimam, potentißimam, benignissimam gratiam, qua in nouißimo mundi tempore omnes gentes in regnum Christi uocantur, prioribus seculis in occulto dei absconditam fuisse consilio, & cur

hac mani

hac manifestatione, qua nunc uniuersis nationibus innotescit, antea reuelata non fuerit, nullam posse scientiam comprehendere, nullam intelligentiam penetrare, cum tamen illud quod de bonitate dei pijssime creditur, quia omnes homines uelit saluos fieri, & in agnitionem ueritatis uenire, non oporteat nisi perpetuum æternumq; sentiri, secundum eas mensuras quibus deus dona generalia specialibus nouit cumulare muneribus. Vt & qui exortes gratiæ fuerint de sua nequitia redarguantur, & qui eius lumine enituerint, nō in suo merito, sed in domino glorientur. In hoc sane angusto quidem, sed tamē recto intelligentiæ tramite, non parum difficultatis opponit consyderatio paruulorum, qui nullo iudicio rationis utuntur, quo authoris sui beneficia sentientes, ad agnitionem ualeant ueritatis accedere. Nec uidentur de neglectu opitulantis gratiæ iuste argui, in illa ignorantia naturaliter constituti, quam dubium non est nullā recipere scientiam, nullam sentiri doctrinā.

CAPVT .VIII.

VNDE CVM omnes homines uelit deus saluos fieri, quid est quod alienatur à salute perpetua tanta infantiū multitudo, totq; in his ætatibus hominū milia extra uitam relinquūtur æternam, quasi ad hoc tā

tum conditi sunt ab eo, qui neminem quidem creauit, ut quia in hunc mundum cum peccati carne uenerũt, insolubilis culpæ uincula sine reatu propriæ actionis incidere̅t, quid hoc profundius, quid mirabilius esse potest? Neq; credi fas est eos, qui regenerationis nõ adepti sunt sacramẽtum, ad ullum beatorũ pertinere consortium. Et magis stupendum, magisq; sit mirũ, quod ubi actio nõ offendit, ubi arbitrium nõ resistit, ubi eadem miseria, similis imbecillitas, causa cõmunis est, nõ unum esse de tanta parilitate iudicẽ, & quales reprobat abdicatio, tales adoptat electio. Verum tamen de hac altitudine discretionis dei non conturbabitur cor nostrum, si firma & stabili fide omne iudicium dei iustum esse credamus, nec appetamus habere cognitum, quod uoluit esse secretum, ut ubi inuestigare non potest quare ita iudicet, sufficiat scire quis iudicet. Quãquam nõ ita incognoscibilis ista sit quæstio, ut nihil sit quod de ea eruditionis posßimus adquirere, si ad contemplandũ id quod uideri potest, tranquillus sobrij cordis adhibeatur intuitus. Cum enim consyderamus inter paganos, inter Iudæos, inter Hæreticos inter ipsos Catholicos Christianos, quam multiplex pereat numerus paruulorum, quos quantum ad proprias pertinet uoluntates, neq; bonum aliquid, neq; malum cõstat egisse, discimus super eos illã manere sententiã, quã humanum

num genus prævaricatione primi parentis excepit: cuius sententiæ rigor, dum etiam circa tales non resoluitur, quàm magnum illud peccatũ fuerit, demonstratur. Nemo autem putaretur non innocens nasci, nisi etiam talibus esset noxium non renasci. De immaturitate uero mortis non est ratio conquerendi, cũ semel in naturam nostram per peccatũ ingressa mortalitas, obnoxiũ sibi omnem uitæ nostræ fecerit diem. Esset enim quoniam secundũ aliquẽ modum immortalis dici homo posset, si esset tempus intra quod mori omnino nõ poßet. Sed nunquam corruptio ita incorruptionis est particeps, ut non semper obnoxiũ sit defectioni quod debetur occasui. Vitæ huius principium mortis exordium est, nec prius incipit augeri etas nostra, quàm minui. Cui si quid adijcitur spacij temporalis, nõ ad hoc accedit ut maneat, sed in hoc transit ut pereat. Quod ergo ab initij sui die mortale est, qualibet occidat die, non contra legem mortalitatis occumbit. Nec unquã ei uicinius est posse uiuere, quàm posse deficere. Quamuis autem ex una causa omnium hominum sit orta mortalitas, non in unam tamen, sed in multiplicẽ imbecillitatem corruptibilis natura distrahitur. Et siue morbis, siue debilitatibus, siue uulneribus, non solum anni aut menses uel dies ætatis humanæ, sed & omnes horæ, omniáque momenta subiecta sunt. Nec est

aliquod mortis genus, aut ullus obeundi modus, qui non intra uniuersitatem mortalium in aliquam mãdat portionem. Manet enim graue iugum super filios Adam, à die exitus de uentre matris eorum, in diem sepulturæ in matrẽ omniũ. Sed huius asperrimi iugi pondera non ita in Adæ filios irrucrunt, ut diuina iustitia nihil eis suæ dimensionis adhiberet, quæ defectionum legibus ita defectura subiecit, ut ab eis moderationum suarum non euerteret potestatem. Ideo omnia omnes inciderent mala, quia per cõmunẽ cõditionem omnes omnibus subiacerent, sed ut generali necessitate uariata, causas sibi dominus indulgentiæ correptionisq; seruaret, essetq; in uno omnium debito, quod & misericors remitteret, & iustus exigeret. Cum igitur iusta & omnipotens prouidentia dei inæssabiliter uniuersa dijudicet, & nemo in hunc mundum ueniat, neque ab hoc mundo exeat nisi eo ortu atque decessu, quem rerum arbiter secundũ altissimã scientiã suã, sapientiãq; decernit, sicut scriptũ est in libro Iob: Quis ignorat quod omnia hæc manus domini fecerit, in cuius manu anima omnis uiuentis, & spiritus uniuersæ carnis hominis. Et iterũ: Breues dies hominis sunt, & numerus dierum eius apud te est. Quis audeat causas operum & consiliorũ eius inquirere? Inscrutabile enim est, ualdeq; secretum, cur tantis differentijs conditio humana

Iob. 12.

Iob. 14.

humana uariata sit. Illũ ab infantia usq; in senectutem longæua carpit infirmitas, nec inter perseuerãtes dolores statutæ defiat tempus ætatis. Illũ integris ualentem uiribus annosissimus uigor uegetat. Huic in pueritia finis est, illi in adolescentia. Huic ultra iuuentutem non licet progredi, illi impossibile est usq; ad loquendi rudimẽta grandescere. Quas uitæ metas multiformiter inæquales minus aærbas experiretur cadua mortalitas, si præsentis tantũ seculi detrimenta paterctur, & non in æternas miserias caderent, qui hinc sine lauacro regenerationis exissent. Sed cum inscrutabilis sit causa donorum, quæ gratia tribuit, quàm miseriarum quas natura promeruit, ipsa nos intelligẽtiæ difficultas ad nostrum remittit authorẽ. Et cum quærimus: Quomodo omnes homines saluos fieri uelit, qui non omnibus illud tempus impertit, in quo per uoluntariam fidem peràpiendæ gratiæ sint capaces? Non irreligiosæ arbitror credi, neque inconuenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper uniuersis est impensa nationibus: qua utique si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem iuuarentur. Omnium nanq; exordia paruulorum, totaq; illa principia necdum rationalis infantiæ, sub arbitrio iacent uolũtatis alienæ, nec ullo modo eis nisi per alios consuli potest, & conse-

quens est illos ad eorum pertinere cõsortium, quorũ uel recto uel prauo aguntur affectu. Sicut enim ex aliena confessione credunt, ita ex aliena infidelitate aut dissimulatione non credũt. Et cum ipsi nec præsentis uitæ desyderium habuerunt, nec future, quàm ipsorum factum est nasci, tam ipsorum efficitur nõ renasci. Sicut autem circa maiores præter illam generalem gratiam parcius atq; occultius omnium hominũ corda pulsantẽ excellẽtiore opere, largiore munere, potentiore uirtute uocatio specialis exeritur, ita etiam circa innumeros paruulos eadem manifestatur electio. Quæ quidem nec illis qui renati non sunt, in parentibus defuit, sed ijs qui renati sunt, præparentibus affuit. Ita ut multis sæpe, quos suorum impietas deseruit, alienorum cura seruierit: & ad regenerationem uenerint per extraneos, quæ eis non erat prouidenda per proximos. In quo opere gratiæ, quis nisi arrogantissimus atque uanissimus de diuina iustitia conqueratur, quod non omnibus paruulis similis prouidentia consulat, omniáq; pericula quæ moriturorum regenerationem prohibere possunt, aut potestate submoueat, aut miseratione præueniat? Quod utique erga omnes ita fieret, si ita fieri omnino deberet. Nõ autem latet quantum cordibus fidelium desidiæ gigneretur, si in baptizandis paruulis nihil de cuiusquam negligentia,

nihil

nihil de ipsorum esset mortalitate metuendũ: quandoquidem ut tales baptismo fraudarentur, nullo modo posset accidere. Hac uero tam inamissibili felicitate infantium, uehementißime opinio illius roboraretur erroris, qui gratiam dei secundum merita hominum dari, audet contra fidem catholicam prædicare. Videretur quippe inalpabili innocentiæ hoc tota æquitate deberi, ut neminem eorum adoptio præteriret, quos nullus reatus perstringeret. Nec impie à quodam de paruulorum baptismo dictũ fuisset: Habet gratia quod adoptet, non habet unda quod diluat. Sed hoc detestabiliter prædicatũ omnes discipuli ueritatis intelligunt: & inde manifestum est eos qui salui fiunt, non merito, sed gratia liberari, quia sine baptismo mortuos perisse non dubium est. Qui utique nisi grauissimi peccati essent participes, non perirent. Nunc autem occulta quidem dei discretione, sed iusta, sic ostenditur, & quid conferat gratia, & quid præuaricatrix mercatur natura: ut nec contra donum eleuetur superbia, nec contra periculum cesset industria. Siue igitur nouißima contemplentur secula, seu prima seu media, rationabiliter & pie creditur omnes homines saluos fieri deum uelle, semperq; uoluisse, & hoc non aliunde monstratur, quàm de ijs beneficijs, eaq; prouidentia dei, quam uniuersis gene

rationibus

rationibus cõmuniter atq; indifferenter impendit. Fuerunt enim ac sunt huiusmodi dona ita generalia, ut per ipsorum testimonia ad quærendum uerũ deum possent homines adiuuari, quibus donis authorẽ suum per omnia secula protẽstantibus, specialis gratiæ largitas superfusa est. Quæ licẽt copiosius nunc quàm antè præstetur, causas tamen distributionum suarum dominus apud scientiam suam tenuit, & intra secretum potentissimæ uoluntatis occuluit, quæ si omnibus uniformiter affluerent, non latерent. Et quã nulla est ambiguitas de benignitate generali, tam de speciali misericordia nihil quod stupendum esset, existeret, ac perinde illa esset gratia, ista non esset. Deo autem placuit et hanc multis tribuere, & illam à nemine submouere, ut ex utraq; appareat non negatũ uniuersitati quod collatum est portioni, sed in alijs prævaluisse gratiam, in alijs resiliuisse naturã. Hãc quippe abundantiorẽ gratiam ita credimus, atq; experimur potẽtiam, ut nullo modo arbitremur esse uiolentam, quo quicquid in saluandis hominibus agitur, ex sola dei uolũtate peragatur. Cũ etiã ipsis parvulis per alienæ uoluntatis subueniatur obsequium.

CAPVT .IX.

GRATIA quidẽ dei in omnibus iustificationibus prinãpaliter præminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo

rendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corq; ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam uoluntas hominis subiungitur ei atq; coniungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidijs, ut diuino in se cooperetur operi, & inapiat exerere ad meritum, quod supernò semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate si deficit, de gratiæ opitulatione si proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos, siue occultos siue manifestos, omnibus adhibetur: et quod à multis refutatur, ipsorum est nequitiæ: quod autem à multis suscipitur, & gratiæ est diuinæ, & uoluntatis humanæ. Siue igitur initia, siue profectus fidelium, siue usq; in finem perseuerantiũ cogitemus genus, nulla species cuiusquam uirtutis occurrit, quæ uel sine dono diuinæ gratiæ, uel sine cõsensu nostræ uoluntatis habeatur. Ipsa enim gratia hoc omni genere medendi atq; auxiliandi agit, ut in eo quem uocat, primam sibi receptriæm & famulam donorum suorum præparet uoluntatem. Nam uirtus uolentiũ nulla est, nec potest asseri uel fidem uel spem uel charitatem eis inesse, quorũ ab his bonus consensus alienus est. Hunc autem consensum non solum cohortatio prædicantium & incitamenta doctrinæ, sed & metus gignit: propter quod scriptũ est: Principium sapiẽtiæ timor domini. Qui quantislibet terroribus Prouer. 9

inferatur,

inferatur, nõ aliud agit, quàm ut quem fecerit timentem, faciat & uolentẽ, nec solum uolentem, sed etiam sapientem. Vnde & illud scriptum est: Beatus cui donatum est habere timorẽ dei. Quid enim tam beatificum, quàm hic timor, qui genitor eruditorq; sapientiæ est? In cuius utique deuotione deuota est & uoluntas, quæ authore gratiæ eodem proficit timore quo cœpit. Cum ergo hic timor etiam per quandam uim magni terroris immittitur, non ibi ratio extinguitur, nec intellectus auferetur, sed illa potius quæ mentem premebat caligo discutitur, ut uoluntas deprauata prius atque captiua, recta efficiatur & libera. Vnde sicut animus nihil uirtutis capit, nisi radium ueri acceperit luminis, ita gratia nihil ei quem uocat, confert, nisi oculos in eo aperuerit uoluntatis. Quæ in plerisque (sicut superius disputatum est) ab ipso initio sui ardentissima, citis & magnis ditatur augmentis. In plerisq; autem tarde cunctanterq; proficiens, uix ad ea incrementa prouehitur, quæ idoncam ad perseuerandum habeant firmitatem. Dicit quidem dominus: Nemo uenit ad me, nisi pater qui misit me, attraxerit eum. Sed hoc ideo dictum est, ut illam fidem, sine qua nemo ad Christum uenit, ex patris haberi munere nouerimus, secundum illud quod Apostolo dicitur: Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis

Eccl. 25.

Ioan. 6.

Mat. 16.

guis non reuelauit tibi, sed pater meus q̃ in cœlis est. Qui in cordibus trahendorum hoc egit ut crederet, hoc effecit ut uellent. Non enim esset unde traherentur, si sequaces fide & uoluntate nõ essent: quoniam qui non credunt, nec trahuntur omnino, nec ueniunt: neque accedunt qui dissentiunt, sed recedunt. Qui ergo ueniunt, amore ducuntur: dilecti enim sunt, & dilexerunt: quæsiti sunt, & quæsierunt: & quod eos uoluit deus uelle, uoluerunt, qui ad obediendum sibi, ipsum uelle sic donat, ut etiam à perseueraturis illam mutabilitatem, quæ potest nolle, non auferat. Alioquin nemo unquam fidelium receßisset à fide. Neminem concupiscentia uinceret, neminem tristitia elideret, neminem iracundia debellaret, nullius charitas refrigesceret, nullius patientia frangeretur, & collatam sibi gratiam nemo negligeret. Sed quia hæc possunt fieri, & in consensum talium tentationum facilis nimium procliuisq; descensio est, nunquam debet in auribus fidelium uox illa domini non sonare, qua Apostolis dicitur: Vigilate et orate ne intretis in tentationem. Mat. 26. Vbi si de uigilando tantum, non etiam de orando discipulos admoneret, solas liberi arbitrij uires uideretur hortatus. Sed cum addidit: Et orate, satis docuit superni futurum muneris, ut eos etiam uigilantes tentationis procella non uinceret. Tale est

& illud

Luce.22. & illud quod ait: Simon Simon, ecce Sathanas expo
stulauit, ut uos cerneret, uelut triticum, ego autem
rogaui pro te, nec deficiat fides tua, & tu tandem con
uersus confirma fratres tuos, & roga ne intretis in
tentationem. Si ergo defectura erat fides tanti Apo/
stoli, nisi pro eo Christus oraret, inerat ei proculdu-
bio mutabilitas, quæ posset in tentatione nutare. Et
non ita iam perseucrãtiæ fuerat uirtute solidatus, ut
nullis periculis esset obnoxius, siquidem tam grauis
eum perturbatio etiã post ista concusserit, ut in Cai/
phæ domo unius ancillæ interrogatione pauefactus,
usque ad trinam negationem Christi (cui moriturũ
se spoponderat) constantia deficiente perductus sit.
Qui ergo tunc cõturbatum cor Apostoli non huma
nis, sed diuinis cõuenit oculis, & ad largos pœnitu/
dinis fletus potenti incitauit aspectu, potuit hanc fir
mitatem animi præcipuo conferre discipulo, ut sicut
ipsum dominum nihil ab explendæ passionis propo/
sito deterrebat, ita nec beatum Petrum ulla tunc for
mido superaret. Sed hæc stabilitas illius tantummo/
Ioan.10. do propria fuit, qui solus uere potenterq; dicebat: Po
testatem habeo ponere animam meam, & potestatem
habeo iterum sumere eam. In cæteris uero homini-
bus donec caro cõcupiscit aduersus spiritum, & spi
ritus aduersus carnẽ, & donec spiritus quidẽ prom/
ptus est, caro autem infirma, incommutabilis animi

formido

formido non potest reperiri, quoniam non huius, sed alterius uitæ est uere perfecta & secura felicitas. In præsentis autem agonis mœrore, ubi tota uita tentatio est, & ab insidianti superbia, nec ipsa est tuta victoria, mutabilitatis periculo nõ caretur. Et licet innumeris sanctis suis donet uirtutem perseuerandi usq; in finem diuina protectio, à nullis tamen aufert, quod ipsis repugnat ex ipsis, ut in omnibus studijs eorum atq; conatibus semper inter se uelle & nolle decertet. Quam cõpugnantiam idem beatissimus Petrus etiam in ipsa palmarum omnium consummatione perpessus est. Siquidem hoc ipse dominus protestatur & dicat: Amen amen dico tibi, quando iuuenis eras, præcingebas te & ambulabas ubi uolebas, cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te præcinget, et ducet quo tu non uis. Hoc autem dixit significans qua morte glorificaturus esset deũ. Quis ergo ambigat, quis ignoret hãc fortissimam petram, quæ ab illa principali petra cõmunionem & uirtutis sumpsit & nominis, hoc desyderium semper habuisse, ut ei moriendi pro Christo constantia donaretur? Veruntamen ita ineuitabilis erat obluctatio trepidationis, ut uir martyrij auidissimus, adepturus quidẽ denunciaretur uictoriam passionis, sed non sine tentatione formidinis. Merito igitur non solum ab incipientibus, uerumetiam à prouectissimis sanctis unifor- Ioan. 21.

miter domino ſupplicatur et dicitur: Ne nos induas
Matt .6. in tentationem, ſed libera nos à malo. Vniuerſis enim
qui in fide & dilectione permanent, ab ipſo donatur
ne in tentatione ſuperentur, ut q gloriatur, in domino
1.Cor.1. glorietur. Ipſamq; gloriam iſſdem quibus eam impertit, aſcribit. Vt quamuis auxilio dei ſteterint, tamen quia in ſe habebant unde caderent, ipſorum ſit meritum quod ſteterunt. Igitur ſicut qui crediderunt, iuuantur ut in fide maneant, ſic & qui nondum crediderunt, iuuantur ut credant. Et quemadmodum illi in ſua habent poteſtate ut exeant, ita & iſti in ſua habent poteſtate ne ueniant. Fitq; manifeſtum quod diuerſis atq; innumeris modis omnes homines uult deus ſaluos fieri, & in agnitionem ueritatis uenire. Sed qui ueniunt, dei auxilio diriguntur. Qui non ueniunt, ſua pertinacia reluctantur. Quãuis autẽ multi amantes tenebras ſuas, ſplendorem non recipiant ueritatis, & multi qui illuminati fuerant, tenebreſcant, uerbum tamen dei manet in æternũ, & de promiſſionis ueritate nihil exãdit. Intrat quotidie præſcita & promiſſa gentium plenitudo, & in Abrahæ ſemine omnis gens, omnis tribus, omnis lingua benedicitur. Quod enim pater filio dedit, filius non amittit, neq; quiſquam poteſt de manu eius eripere quod accepit. Firmum fundamentum dei ſtat, & manſuri in æternum templi ædificatio non uacillat, prætenta

ſuper

super omnes ueritate et misericordia dei, à quo (quod & nemini negatur, & nulli debetur) in ijs quos promisit efficitur. Ipse enim operatur omnia in omnibus. Sed omnia procul dubio iusta & bona. Vniuersæ enim uiæ domini misericordia & ueritas. Psal. 24. Qui sicut præsciuit ante secula, quãta totius mundi hominũ multitudo, uel cõmunibus usa donis, uel specialibus adiuta præsidijs, declinãs tamẽ ab itinere ueritatis et uitæ, ingressura esset latitudinem erroris & mortis: Ita semper prægnitum habuit quantus piorum numerus per opem gratiæ, & per seruitutẽ obedientiæ ad æternã beatitudinẽ pertineret: Vt nullo excidente de plenitudine ꝓmissorũ (qui nec prouectu erat fallendus, nec auxilio defuturus) eos glorificaret præ omnibus, quos eligit ex omnibus. Vniuersitati quippe hominum (quod abunde probauimus) ita multiplex atq; ineffabilis bonitas dei consuluit semp et cõsulit, ut neq; ulli pereuntiũ excusatio suppetat de abnegato sibi lumine ueritatis, neq; cuiquam sit liberũ de sua iustitia gloriari, cũ & illos propria nequitia demergat ad pœnã, et istos dei gratia perducat ad gloriam.

CAPVT .X.

QVOD ITAQVE IN PRINcipio secundi huius uoluminis insinuauimus, hoc nunc iterũ cõmendamus, ut cum

de gratiæ profunditate & altitudine disputatur, tri bus illis saluberrimis & ueracissimis diffinitionibus simus innixi. Quarum una profitetur æternum & proprium diuinæ esse bonitatis, ut omnes homines saluos fieri uelit, & in agnitionem ueritatis uenire. Alia simul prædicat omnem hominem qui saluus fit, quiq; in agnitionem ueritatis uenit, dei auxilio iuuari & regi, utq; in fide, quæ per dilectionem operatur, permaneat, custodiri. Tertia uero temperanter & sobrie protestatur, nõ omnem uoluntatis dei comprehendi posse rationem, & multas diuinorum operum causas ab humana intelligentia esse subductas, ut cum in temporibus, in nationibus, in familijs, in paruulis, in nondum natis & genitis quædam aut uarie, aut insigniter gesta noscuntur, non ambigimus ea ex illis esse quæ iustus & misericors deus in hoc transituro seculo noluit sciri. Quod quidem ad utilitatem nostram dispositum sentiẽdum est, ut quoniam salui facti sumus, cui præparauit deus quod oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, sicut constanter credimus uidendũ quod nondum uidemus, ita patienter expectemus intelligendum quod nõdum intelligimus. Si ergo esset insidiosa malignitas, si insolens præsumptio conquiescat, his recte (ut arbitror) pertractatis, nullius superest causa certaminis, neq; ultra necesse est nos

intermina-

interminabilibus quæstionibus occupari. Elaboratum est enim quantum dominus adiuuit, ut non solum in nouissimis diebus, sed etiam in cunctis retro seculis probaretur gratiam dei omnibus hominibus affuisse, prouidentia quidem pari & bonitate generali, sed multimodo opere diuersaq; mensura. Quoniam siue occulte siue manifeste, ipse est (ut Apostolus ait) saluator omnium hominum, maxime fidelium. Quæ sententia subtilissimæ breuitatis & ualidissimi roboris, si tranquillo consyderetur intuitu, totam hanc (de qua egimus) controuersiam dirimit. Dicendo enim: Qui est saluator omniũ hominũ: confirmauit bonitatẽ dei super uniuersos homines esse generalem. Adijciendo autẽ: maxime fideliũ: ostendit esse partẽ generis humani, quæ merito fidei diuinitus inspiratæ, ad summã atq; æternã salutem specialibus beneficijs prouehatur. Quod utiq; nulla iniquitate agitur iustissimi & misericordissimi dei, cuius iudiciũ in his dispensationibus non cum arrogantia discutiendum, sed cum tremore laudandum est: siquidem in ipsis quoque fidelium populis (quod iam superius ostensum est) non eadem omnibus, nec paria conferantur, & ante ulla humanorum ponderum meritorum, dissimillima diuinorum mensura sit munerum. Si enim de parentum carnalium iudicijs conqueri nõ audemus, cum aliquos filios suos ante ulla morum

examina, ante aliqua pietatis obsequia, indulgentiore amplectuntur affectu, in dominis quoq; erga famulos libera est dispositio: nec iuste à quoquam reprehenditur, qui de unius conditionis familia, quosdam sibi quos benignius honestaret, & quos liberius erudiret, elegit: nunquid de summi patris & ueri domini beneuolētissima æquitate causandū est, quod in magna domo eius innumeris differentijs uniuersa uariātur? Cumq; nemo aliquid boni habeat quod nō ille donauerit, non omnes tamen ijsdem uirtutibus micant, aut eadem charismatum dote ditantur. Nec possumus hanc diuersitatem graduum causis aptare meritorum, cum totius boni meriti principalis causa sit gratia, de cuius opibus sumitur quicquid in singulis probabile reperitur. Sicut ergo de ijs quæ intra ecclesiam multiformiter spiritus sanctus operatur, impium est ullam querelam corde concipere, ita etiam de illa prouidentia quæ infidelibus præsidet, nullatenus murmurandum est. Quoniam & iustus & bonus arbiter nec uolūtatis iniquæ est, nec discretionis inæquæ, ut sub immēsa omnipotētis dei misericordia atq; iustitia putemus, qđ quisquā pereat qui perire nō debeat. Nulla pars mūdi ab Euangelio uacat Christi. Et licet illa generalis uocatio nō quiescat, tamē etiam ista specialis iam uniuersis est & facta cōmunis. Ex omni gente, ex omni conditione adaptantur quotidie

milia

milia senum, milia iuuenum, milia paruulorum, & effectibus gratiæ Christianæ, etiam ipsa quibus mundus atteritur, arma famulãtur. Quàm multos enim qui in tranquillitate pacis sacramẽtum baptismatis susipere differebant, ad aquam regenerationis confugere instantis periculi metus impulit, & lentis trepidisq; animis, quod diu cohortatio quieta non fuasit, minax subito terror extorsit. Quidam ecclesiæ filij ab hostibus capti, dominos suos Christi Euangelio manciparunt: & quibus conditione bellica seruiebant, eisdem fidei magisterio præfuerunt. At alij barbari dum Romanis auxiliãtur, quod in suis locis nosse non poterant, in nostris didicere regionibus, et ad sedes suas cum Christianæ religionis institutione remearunt. Ita nihil obsistere diuinæ gratiæ potest, quo minus id quod uoluerit, impleatur. Dum etiam discordiæ ad unitatem trahunt, & plagæ in remedia uertuntur, ut ecclesia unde metuit periculum, inde sumat augmentum. Ad quoslibet igitur rerum humanarũ exitus se nostra conuertat inspectio, nulla secula, nulla negocia, nullos generationum ortus atque decessus ab æternis & inscrutabilibus iudicijs dei uacare reperiet. Omnes uarietatum compugnantiæ, & uniuersæ dißimilium prouentuũ causæ, quas inuestigare & discernere non ualemus, in illa æterna scientia simul notæ simulq; diuisæ sunt. Et nihil

ibi inordinatum est, etiam de necdum existentium qualitatibus actionum. Quoniam non est in deo accidens motus, aut noua uoluntas, aut temporale consilium, nec cogitatio eius cum rerum mutabilium inæqualitate uariatur, sed cuncta pariter tempora & temporalia, sempiterno ac stabili cõprehendit intuitu, & omnibus omnia iam retribuit, qui quæ sunt futura, iam fecit. Hinc illud est beati Pauli Apostoli
Ephe.1. scribentis ad Ephesios: Benedictus deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo. Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionẽ, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christũ dominum nostrum, secundũ propositum uolũtatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ. Et cætera, quæ sub eiusdem sensus prædicatione connectit, docens donum atq; opus gratiæ in æterno semper dei mansisse consilio, omnesq; adoptionis filios non solum in eo tempore, quo iam existentes uocati sunt, sed etiam prius quàm mundus conderetur, electos. In qua electione quicquid hominum in Christo præcognitum nõ est, nulla eidem ratione sociabitur. Omnes enim qui in regnum dei de cuiuslibet temporis uocatione uenturi sunt, in ista quæ secula cuncta præcessit, adoptione signati sunt. Et sicut nullus infi-

delium

delium in hac ſorte numeratus, ita nullus piorum ab hac ſorte diſcretus eſt. De plenitudine quippe membrorum corporis Chriſti, præſciẽtia dei, quæ fálli nõ poteſt, nihil perdit, & nullo detrimento minui poteſt ſumma præcognita, atq; in Chriſto ante ſecula æterna præelecta, ſicut ad Timothæum ſcribens Apoſtolus, dicit: Collabora Euangelio ſecundum uirtutem dei, qui nos liberauit & uocauit uocatione ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundũ ſuum propoſitum & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora æterna. Contra hanc inuictæ ueritatis ſplendidiſſimam luæm ſolent quidam non ſobrie diære, ſuperfluo ad acquirenda bonorũ operum merita laborari, fruſtra etiam orationibus, quibus deus exorandus ſperatur, inſiſti, ſi ex incommutabili propoſito eius Chriſtianæ gratiæ ſubſiſtit electio, nec aliter quicquam proœdere poteſt, quàm omnipotentis uolũtate diſpoſitũ eſt. Sed qui ſe ingenioſe hoc arbitrantur opponere, nõ intelligũt ſcientiã dei, quæ & præterita, et præſentia, & futura cõplectitur, tẽpore nõ teneri. Et tã in cõſpectu eius aſtare ea, quæ gerenda ſunt, quàm illa quæ aut geruntur, aut geſta ſunt. Quod cum ueriſſimum ſit, non indiget mora æternendi & diſcernendi illa uirtus, quæ perpetuo ueroq; contuitu creata & creanda, orta et oritura, acta & agẽda ſimul aſpicit, & quicquid in uniuerſitate re-

2. Tim. 1.

rũ per secula præfinita euoluitur, ac multimodis uarietatibus explicatur, id totum in eo iam ordine comprehendit, quem ex ipsius summo illo perfectoq; iudicio mundi huius finis accipiet. Hæc autem æterna & semper tranquilla cognitio nulla nos urget necessitate peccandi, nec inde manat iniquitas unde iustitia. Quia cum bonus deus omnia bona fecerit, & mali nulla sit omnino natura, à liberis uoluntatibus, quas utique bonum fuit liberas fieri, sponta/nea est orta transgressio, & natura mutabilis, cuius incolumitas ab incommutabili pendebat essentia, à summo se bono dum proprio peruerse delectatur, abrupit, cui nunc ruinæ medetur gratia dei.

i. Ioan. 3. Et propterea Iesus Christus uenit in hunc mundum, ut soluat opera diaboli, quæ utique sic soluuntur, ut in destructione eorum etiam ab ijs quibus succurritur, laboretur: quoniam & hoc à saluante donatur.

Roma. 5. Ideo beatus Apostolus: Non solum autem, inquit, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes, quod tribulatio patientiam operatur: patientia autẽ, probationem: probatio autem, spem: spes autem nõ confundit: quia charitas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Itẽq;

Ephe. 2. idem ad Ephesios: Gratia, inquit, saluati estis per fidem, & hoc non ex uobis: dei enim donum est: non ex operibus, ne quis glorietur. Ipsius enim sumus

mus figmentum, creati in Christo in operibus bonis, quæ præparauit deus ut in illis ambulemus. Deus ergo his quos eligit sine meritis, dat unde ornentur & meritis. Et frustra dicitur, quod ratio operandi non sit in electis, cum etiam ad hoc operentur ut electi sint. Virtutũ quippe munera ociosa esse nõ possunt, quoniam sicut ueritas ait: Omni habenti dabitur, nõ habenti autem etiam quod habet, auferetur ab eo. Non igitur ad hoc datur continentia, ut concupiscentijs non repugnet. Nec ideo cuiquam tribuitur sapientia & intellectus, ut non die ac nocte in domini lege meditetur. Quid agit donũ dilectionis, si beneuolentiæ sollicitudo non uigilat? Quis fructus est patientiæ, si non habet fortitudo quod toleret? Aut quomodo in Christo pie uiuere ostenditur, qui nulla persecutione pulsatur? Vel pax quæ est à deo, & cum deo, nunquid bene quieta est, si non discordat à mundo? Aut amor dei poterit sine diaboli inimicitijs obtineri? Neminem prorsus dei gratia intentabilem facit. Neque ob hoc cœlestium armorum præsidio à dextris & sinistris instruitur Christiana militia, ut nullo cum hoste confligat: cum laudabilius sit atque felicius pugnantem non potuisse uinci, quàm desidem non potuisse tentari. Orationum uero sollicitudinem diuinæ electionis proposito non resolui, uno testimonio euidenter probabo Matt. 25.

babo, ut cætera ſtudio breuitatis omittam. In libro igitur Tobiæ ad filium eius Tobiam Raphaël angelus dicit: Memor eſto mandatorũ patris tui, quoniã præcepit tibi accipere debere uxorẽ de genere patris tui. Et nũc audi me frater, noli cõputare dæmoniũ illud, ſed poſtula eam. Et ſcito quoniam dabitur tibi hac nocte uxor, & cum intraueris in cubiculum, tolle de iecore piſcis illius, & impone ſuper carbones, & odor manabit, & odorabitur illud dæmonium, & fugiet, & non apparebit circa illam omnino in perpetuum. Et cum cœperis uelle eſſe cum illa, ſurgite primum ambo, & deprecamini dominum cœli, ut detur uobis miſericordia & ſanitas. Et nolite timere: tibi enim deſtinata eſt ante ſecula, & tu eam ſanabis. Quãuis ergo quod ſtatuit deus, nulla poſſit ratione nõ fieri, ſtudia tamen non tolluntur orandi: nec per electionis propoſitũ, liberi arbitrij deuotio relaxatur. Cũ implẽdæ uolũtatis dei ita ſit præordinatus effectus, ut per laborem operum, per inſtantiam ſupplicationũ, per exercitia uirtutum fiant incrementa meritorum. Et qui bona geſſerint, non ſolum ſecundum propoſitum dei, ſed etiam ſecundum ſua merita coronentur. Ob hoc enim in remotiſſimo ab humana cognitione ſecreto, præfinitio huius electionis abſcondita eſt, & de nullo ante ipſius finem pronunciari poteſt, quod in electorum gloria ſit futurus,

Tobiæ. 6

turus, ut perseuerantem humilitatem utilis metus ser
uet, & qui stat, uideat ne cadat. Et si forte aliqua ui/ 1. Cor. 10.
ctus tentatione corruerit, non absorbeatur tristitia,
nec de eius miseratione diffidat, qui alleuat omnes Psal. 144
qui ruunt, & erigit omnes elisos. Dum enim in hoc
corpore uiuitur, nullius est negligẽda correctio, nul
lius est desperanda reparatio. Oret itaq; sancta ec=
clesia, & pro ijs qui credidcrunt gratias agens, pro/
ficientem eis perseuerantiam petat: pro ijs autem qui
extra fidem sunt, poscat ut credant. Nec ideo ab ob
secrationibus cessct, si pro aliquibus exaudita
nõ fuerit. Deus enim qui omnes uult ad
agnitionem ueritatis uenire, non
potest quenquam sine
iustitia resu=
tare.

Sancti Ambrosij Episcopi Liber secundus de Vocatione omnium gentium expliat.

Sancti

SANCTI AMBROSII AD SACRAM VIRGINEM DEMETRIADEM, MAGNIS PRAECONIIS VERAM HVmilitatem exaltantis, aduersantemq; illi superbiam digna uituperatione confundentis, ac per hoc ipsam ad elationem cauendam, & præsidio syncerę humilitatis armandam persuadentis, Epistola.

AMBROSIVS Episcopus, sacræ uirgini Demetriadi. Cum splẽdidißimæ sanctimoniæ tuæ sublime propositũ sup humilitatis fundamẽta cõsiste re pie & sapienter intelligis, in hoc usq; ó sacra uirgo Demetrias dignationẽ tuæ dignitatis inclinas, ut preuectiones tuas etiã meo stilo exigas adiuuari. Quod ego, ad tenuitatem facultatis meæ respiciens, omnibus modis recusarem, neque tam maturo & erudito animo, cohortatiunculas meas adhibere præsumerem,

rem, nisi fiduciam efficiendi id quod iubetur à iubente conciperē, & tuis meritis atque orationibus, cōsiderem esse præstandum, ut oriatur in deserto aqua, & fiant in sicca terra flumina. Vnde collaborandū tibi mecum est, ut qui sapientiam præstat paruulis, & linguas mutorum facit disertas, iubeat de cordis mei ariditate perfluere, quod sitis tua digne possit haurire. Quæ ergo materia stilo dabitur, & unde loquendi tecum causa sumetur? Si laudes tuas scribere aggrediar, & maiorum seriem, quæ per te multum illustratur, cuoluam, oncrosum me forte, et impudentem uideri posse arbitror, qui uel humanæ tibi gloriæ tentationem adulando ingeram, uel tuis ac tuorum prædicationibus ingenium meum par esse præsumam. Si uero de commendando uirginitatis bono differam, superflua erit eius nunc propositi insinuatio, quod tu à primo ætatis tuæ flore sine humanis cohortationibus elegisti, & de quo inter ipsa principia multi, qui tunc in ecclesia præeminebant merito nō siluerunt. Valde enim mirabile erat, et inter præcipua diuinæ gratiæ exempla numerandū, quod uirgo anicia super omnes fastigium trahens, beatæ nobilitatis euecta, de cuius fœcunditate auis atq; atauis responsura posteritas, & familiæ uotis expectabatur et patriæ, conuerso repente animo, desyderio cœlestium nuptiarum declinasti mortale cōiugium.

Et ut

Et ut omnem prosapiam tuam etiã huius uirtutis titulo consecrares, primam stirpis tuæ perpetuam & uirginẽ filio uirginis spopondisti. Illam ergo ætatem tuam, & illa principia rationabiliter doctissimi uiri suis adhortationibus incitarunt. Et licet plantationi suæ summus agricola ualida ad profectũ tuum incrementa præberet, cooperatores tamen gratiæ dei opportune piam adhibuere culturam, ut germen uirtutis fortitudinis robur acciperet, & dignos generositate sua fructus propositi tui arbor afferret, nostris autem paginis quid erit loci, & post ornatissima scripta excellentium magistrorum quid utilitatis in eo, quẽ indicere dignata ex sermone reperies? nisi forte quia & illorum in doctrinis & tuis studijs ad sublimiores gradus uirtutum cõsuetudo profiat, cauendam te elationis admoneam, & humilitatis tibi synceritatem fida suggestione commendem, ut in omnibus actionibus, in quibus tibi es bene conscia, nunquã audeas esse secura. De hoc igitur congruentissimo tibi & saluberrimo bono, quod dominus donauerit disseramus: ut inspectioni nostræ non tantũ uisibilia eius, sed etiam occulta referentur. Est enim multiplex uirtutis istius qualitas: et licet in exterioribus quoq; pulchra sit, in ĩtimis tamẽ suis multo est speciosior, multoq; luculẽtior, ubi nihil obscurũ, nihil turbidũ, nihil est inquietũ. Quia pax multa dili-

Psal. 118.

gentibus

gẽtibus legẽ dei, & non est illis scandalũ. Accessuri autem ad beatæ humilitatis intuitum, omnem illam abiectionem, quæ ignauos & inconstantes animos deprimit, repellamus. Nec generale nomẽ ita nos à iudicio discretionis excludat, ut omnes quoquomodo humiles putemus esse laudabiles. Imitatur quidẽ plerũq; necessitas uoluntatẽ, & ab imagine modestiæ paru differt forma segniciæ. Sed aliud est quod grauat, aliud quod exercet: nec in eundem finem uenit labor indeclinabilis miseriæ, & expertæ fortitudo patientiæ. Vnum est paupertatis uocabulum, sed non una mens pauperum. Quia nõ idem est gaudere bene expensis diuitijs, quod aut gemere de non acquisitis, aut dolere de perditis. Timoris etiã, quo deus metuitur, nulla est in appellatione distinctio. Sed aliud est timere qa peccaueris, aliud timere ne pecces. Et ibi est formido de supplicio, hic sollicitudo de præmio. Ob hoc enim de illo seruili metu dicitur: Quia perfecta charitas foras mittit timorem. De hoc ureo liberali: Timor domini sanctus manens in seculum seculi. Remota itaq; illa specie humilitatis, quæ tota sine fructu est, uoluntarios tantum pendamus affectus. Qui etiam si in gradibus meritorũ inueniuntur impares, non sunt tamen ab ipsa uirtute disordes. Prima ergo humilitatis ratio in cõmunis uitæ uersatur officijs: quibus et diuina clementia conciliatur, i. Ioan. 4. Psal. 18.

t & socie-

& ſocietas humana cõnectitur. Multũ enim ad robo randũ dilectionem ualet, cum ſecundũ doctrinã Apoſtolicã, inuicem ſe homines honore præuenium, et alter alterũ ſuperiorem exiſtimãtes, amãt ſeruire ſubiecti, & neſciunt tumere prælati: cum & pauper diuitem non ſibi dubitat anteferre, & diues paupe rem ſibi gaudeat æquare: cum & ſublimes non ſuperbiunt de claritate proſapiæ, & pauperes non extollunt ur de communione naturæ. Cum deniq; non plus tribuitur magnis opibus, quàm bonis moribus: nec maior ducitur phalerata iniquorũ potentia, quã rectorum inhonora iuſtitia. Ab hoc æquo & modeſto iure concordiæ, in quo nullum eſt de gradu ſuperiore certamen, nec felicitas aut inflat propria, aut urit aliena, pulchre & mirabiliter à pleriſq; proficitur ad illam humilitatis fortitudinem, quæ & ſe extra omnem conſtituit dignitatem: et mauult apta eſſe iniurijs accipiendis, quàm idonea repellendis.

Matt. 5. Vt impleatur quod ait dominus: Qui uult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicunq; te angariauerit mille paſſus, uade cum illo & alia duo. Illud quod Apoſtolus

1. Cor. 6. docet dicens: Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patiminí? Tales enim multum ad imitationem ipſius domini noſtri & ſaluatoris accedunt: qui cũ diues eſſet, pauper factus eſt: &

cum ma

cum malediceretur, non maledicebat: & percutien 2. Cor. 8.
ti se non cõminabatur: et quoniam dixerat: Diligite 1. Pet. 2.
inimicos uestros, benefacite ijs, qui uos oderũt, ut hu Matt. 5.
iusmodi beneuolentiã cõfirmaret exẽplo, ipse pro ijs,
à quibus crucifigebatur orabat. Qui ergo fideliter,
et scienter intelligunt, quo opere saluati, et quo pre
cio sint redẽpti, nolunt de mũdi huius sapientibus, no
lũt esse de fortibus: quoniã sicut ait Apostolus: Quæ 1. Cor. 1.
stulta sunt mũdi, elegit deus, ut cõfundat sapientes: et
infirma mũdi elegit deus, ut cõfundat fortia. et igno
bilia mundi & cõtemptibilia elegit deus, & quæ nõ
sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut nõ glorietur omnis
caro in cõspectu eius, id est, ut nemo se placere deo p
mũdi sapientiã putet, quæ tota carnalis est, & à uera
sapientia cũ omni sua uanitate destruitur. Dominus Psal. 93.
enim nouit cogitationes sapientũ, quoniã uanæ sunt.
Cũ itaq; discipuli ueritatis humanã gloriã fugiunt, et
à tẽporaliũ amore desciscũt, ut quæ dei sunt sapiãt,
nõ quæ hominũ, proficiũt sensibus, nõ deficiũt, neq;
uigorẽ cordis amittũt, sed excellẽtißimæ intelligẽtiæ
lumẽ accipiũt: uiuẽtes quidẽ in hoc mũdo, sed omnes
mũdi strepitus relinquentes, ut redimant tẽpus: quia
dies mali sunt. Quo autẽ pretio quies huius tẽporis
aptius comparatur, quã ut ipsi mundo omnes diuitiæ,
omnes dignitates, et uniuersarum cupiditatum mate/
riæ refundãtur, & sancto beatoq; cõmercio ematur

Christiana libertas: fiantq; filij dei de paupertate diuites, de patientia fortes, de humilitate sublimes? Non enim, ut dilectores huius seculi putant, parui cordis aut segnis est animi, terrenas opes spernere, honores occiduos fastidire, nec ibi gloriam quærere, ubi laudatur peccator in desyderijs animæ suæ, et qui iniqua gerit benedicitur. Vnde si uere intelligatur contemptus iste rerum præsentium ad quæ tendat, & qualia concupiscat, nihil huiusmodi mentibus rectius, nihil inuenietur electius, quæ sacratißimis desyderijs uniuersa transcendunt, neq; ad ullam creaturam, quamuis potētem atq; mirabilem, sed ad ipsum omnium uisibilium & inuisibilium ambiunt creatorem: cui appropinquare clarescere est, quē timere gaudere est, cui seruire regnare est. Sed hæc uirtus quæ temporalis copiæ et patientiæ negligens, ad uitā æternam angusta et ardua mittitur, non debet uoluntarios pauperes, in cōsortiū Christianæ humilitatis admitere: eos autem à societate boni huius excludere, qui ampla prædia, magnifica patrimonia, & multas in hoc seculo poßident facultates, cum in populo dei multi semper, qui diuitijs bene uterentur exiterint, nec ullo modo uel dici uel cogitari liceat, quod Abraham & Isaac & Iacob (quorum se esse deum dominus protestatus est) ideo uera humilitate caruerint, quia pauperes non fuerunt. Aut quod uir sa-

Psal. 9.

eratissimus Melchisedech, domini & saluatoris nostri præferens formam, non fuerit perfecte humilis, quia et sacerdotio eminebat & regno. Vel quod beato Iob, de quo deus pronunciat dicens: Nunquid consyderasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, & timens deum, & recedens à malo? ideo uirtus ista defuerit, quia erant (sicut scriptũ est) in possessione eius septem milia ouium, et tria milia camelorum, quingenta quoq; iuga boũ, et quingẽtæ asinæ, ac familia multa nimis. Eratq; uir ille magnus inter omnes orientales. Quasi tũc istius gratiæ particeps factus est, quando omnibus facultatibus perditis, uniuersa quoque familia filijsq; priuatus, & percussus uulnere pessimo à planta pedis usq; ad uerticem capitis, testa saniem radebat, sedens in stercore, ad imaginem elationis postmodum reuocatus est, quando corporis incolumitate renouata, septem rursus filiorum triũq; filiarum factus est pater, & duplo in uniuersam substantiam est ditatus augmento. Absit autem ab animis fidelium tam irreligiosa persuasio, ut cuiquam sanctorum, quibus deus & diuitias est largitus et honores, ad capiendum ueræ humilitatis meritum, creditur uel opulentia obfuisse uel dignitas, cum eis ad huius uirtutis prouectum utraque profuerint. Quãmuis enim tota uita hominis tentatio sit super terram, Iob. 2.

& tã abundãtia quã inopia, materia ſoleãt eße peccã ti, cum uel diues extollitur ad ſuperbiam, uel pauper proſilit ad querelam, extiterunt tamen in omni tẽpore, & in noſtra quoq; ætate nõ deſunt ſicut & boni pauperes, ita & boni diuites. Nec fruſtra beatus
1. Tim. 6. Apoſtolus Paulus Timothæũ admonet, dicens: Diuitibus huius ſeculi præcipe non ſuperbe ſapere, neq; ſperare in incerto diuitiarũ, ſed in deo, qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendũ, bene agere, diuites fieri in operibus bonis, facile tribuere, cõmunicare, thezaurizare ſibi fundamentũ bonũ in futurũ, ut apprehendant uerã uitã. Quod utiq; fieri in uniuerſa eccleſia, quæ per totũ mundũ eſt diffuſa, nõ dubiũ eſt: et pauperes Chriſti nõ eorũ tãtũ facultatibus ſuſtineri. Qui ut expeditiores dominũ ſequerẽtur, ſumul ſe omnibus ſuis opibus exuerũt. Sed eidẽ operi etiã illorũ ſubſtãtias deſeruire, q poſſeſſionibus ſuis nõ aliter quã rebus pauperũ præſint, ut eccleſiaſticæ utilitati ſub quadã pcuratione famulẽtur, elaborãtes ſinguli p ſuarũ uirũ portione, ut ad uictũ atq; ueſtitũ familiæ dei neceſſaria cõferãtur, et ſimul proſpicientes, ut in domibus ipſorũ ſub iuſto ſanctoq; moderamine omnes et benignitas foueat, et diſciplina cõtineat. Dicente
1. Tim. 5. Apoſtolo: Si qs autẽ ſuorũ, et maxime domeſticorum curã nõ habet, fidẽ negauit, & eſt infideli deterior. Cum itaq; eccleſia dei, quæ eſt corpus Chriſti, ita ſit multimoda

multimoda uarietate contexta, ut in unum decorem etiam quæ non sunt paria, concurrant, & de omni genere hominum, & de omni gradu officiorum, de omni mensura operũ, de omni qualitate uirtutũ, fiat totius ædificationis inseparabilis cõnexio, & indifferens pulchritudo, nec desit soliditati, quod non defuerit portioni: tantáque ibi sit pax, tantáque concordia ut non possit esse, nisi omnium, quod est etiam singulorum, indubitanter appareat copulatricem quandam esse uirtutem, qua sibi cõfœderatur, & concinit multiplex sanctorum unitas, et speciosa diuersitas. Hæc autem uirtus uera humilitas est, quæ inter quoslibet meritorum gradus nunquam sui potest esse dißimilis. Nam & in officiorum uicissitudine, & in mansuetudinis lenitate, & in uoluntariæ paupertatis electione inuenitur multa distantia, & alter altero in propositi sui deuotione, aut maior aut minor est. In uera autem humilitate nihil diuisum, nihilq; non solidũ est: et ideo omnes participes suos unum facit, quia inæqualitatem ipsa non recipit. Huius igitur boni proprietas in confeßione est gratiæ dei, quæ tota repellitur nisi tota suscipitur. Sicut enĩ alienus est à numero fidelium, & à sorte sanctorũ, qui in aliquo à catholica ueritate dissentit: ita extra gratiã efficitur, qui aliquid de eius plenitudine diffitetur. Quasi homo auxilio dei in quadam actionum

ſuarũ parte egeat, in quadam autem parte non egeat, ſitq; ullum tempus, ullum ue momentũ, quo pernicioſum illi eſſe non poßit, ſi ab eo ſpiritus ſanctus defuerit. Qui utiq; ſecundum ueræ deitatis eſſentiã ubiq; totus eſt, & omnia cõprehendit: ſed ab illis modo quodam intelligitur recedere, quos deſtiterit gubernare. Ceſſatio quippe auxilij eius pro abſentia acapitur, quam ſibi inſaniſſime utilem putat, qui in ijs quæ recte geſſerit, ſe magis quàm deum gaudet operatum. Plene ergo & ueraciter cõfitenda eſt gratia dei, de cuius hoc primum munere eſt, ut auxiliũ

1. Cor. 2. ipſius ſentiatur. Propter quod dicit Apoſtolus: Nos autem non ſpiritum mundi acæpimus, ſed ſpiritum qui ex deo eſt, ut ſciamus quæ à deo donata ſunt nobis. Vnde ſi quis eſt, qui aliqua ſe habere exiſtimat bona, quorum non deus largitor ſit, ſed ipſe ſibi author exiſtat, manifeſtum eſt hunc non dei ſpiritũ habere, ſed mundi, & de illa ſecularis ſapientiæ tumere

1. Cor. 1. doctrina, de qua dicit dominus: Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens? ubi ſcriba? ubi cõquæſitor huius ſeculi? Nónne ſtultam fecit deus ſapientiam huius mundi?

Rom. 1. ſecundum quam (ſicut ait Apoſtolus) quidã cum cognouiſſent deũ, non ſicut deum glorificauerunt aut gratias egerũt, ſed euanuerũt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt cor inſipiens eorum: dicẽtes enim

ſe eſſe

se esse sapientes, stulti facti sunt. Vides ne qualis superbis retributio debeatur, et quali mercede repleantur, qui si quo modo ad cognitionem ueritatis accesserint, suæ hoc sapientiæ tribuunt, & de naturali ingenio gloriantur, tanquam deum nõ dei munere, sed proprij intellectus facultate cognouerint. Omnia qui- Ibidem.
dem elementa mundi, & uniuersæ creaturarũ naturæ hoc ipsa sui exigũt specie, ut ĩuisibilia dei, per ea, quæ facta sunt intellecta cõspiciantur: et in pulchritudine cœli et terræ, quædam sunt paginæ ad omnium oculos semper patentes, & authorem suum nũquam tacentes: quarũ protestatio doctinam imitatur magistrorum & eloquia scripturarum. Sed quid illud est, quo cõrporcorũ sensuũ exteriora pulsantur in agro cordis, cui impẽditur ista cultura, nec radicem potest figere, nec germen emittere, nisi ille summus & uerus agricola potentiam sui operis adhibuerit, & ad uitalem profectũ ea, quæ sunt plantata, perduxerit? Siue enim contemplatio creaturarum, siue sacrorum seriẽs uoluminum, siue scientia differentium, synæro & assiduo testimonio prædicet ueritatem, neque qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incre- 1. Cor. 3.
mentum dat deus. Inter omnes igitur lapsus hominum, inter omnia cõmissa peccantium, nulla est grauior, quàm superborum ruina, maxime cum ipsa elatio in dei tendit iniuriã. Nam aliter inflantur, qui ca-

piditatæ extollentiæ singularis omnibus appetũt an/
teferri. Aliter uero intumescunt, qui dei auxilium re
futantes, quæ fieri sine ipsius opere non possunt, ex
sua perfici uirtute contendunt, et spem suam à domi
no auferunt atque ad se transferunt, ut adimplea=
Hiere. 17 tur in eis quod scriptum est: Maledictus homo, qui
spem habet in homine, & firmat carnem brachij
sui, & à domino discedit cor eius. Hæc superbia à
diabolo sumpsit exordium: qui quoniã à sua, quam
à creatore acceperat, potentia & dignitate sibi pla/
cuit, seq; authoris sui gloriæ comparauit, cum ijs an
gelis quos in consensu impietatis suæ traxerat à cœ
lesti sublimitate deiectus est. Et ideo primis homini
bus nocere potuit: quia illis male credulis per menda
da uenenata persuasit, ut meliores se futuros puta=
rent, si in libertate sui arbitrij prosilirent, quàm si in
legis datæ custodia permanerent. Siue itaque in la
psu diaboli, siue in præuaricatione hominis, initium
peccati superbia est: quæ congruenter & auaritia no
minatur: quia utraque appellatio cum significat api/
petitum, qui & suam mensuram concupiscat excel/
dere, & non dignetur diues esse nisi proprijs, tan=
quam habeat hoc simile deo, ut bonorum suorũ ipse
sit fons, ipse sibi sit copia. Hæc autem elatio de per/
uerso usu donorum deinascitur. Nam si conditor
naturarum nulla pulchra, nulla sublimia naturis

ratio/

rationabilibus contuliſſet, unde ſe extollerent, non haberent. Nemo enim de ijs quæ non accepit, ſuperbit, nec inflari quiſquam de eo poteſt, quod à participatione eius alienum eſt. Nunquam gloriatur de ſobrietate temulentia, neque de benuolentia inuidus, aut de lenitate ſæuus, uel de caſtitate extollitur impudicus. Ipſa ſe à uirtutibus uitia ſeernunt: & cum in peccatis agitur non inſita per naturam, ſed ex mala uoluntate concepta, & propria diliguntur: Quia ſicut ſcriptum eſt: Mendax de proprio loquitur. Cum autem in bonis & rectis actibus laudabilis uita ducitur, dei eſt quod geritur, dei eſt quod amatur. Omne enim datũ optimũ, Iacobi. i.
& omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum. Vnde quia inter uitia aut nulla eſt, aut rara iactantia, & facile ſpernitur, qui de opprobrio gloriatur, malũ ſuperbiæ maximè uirtutibus eſt cauendũ: quia nullis opportunius inſidiatur, quàm quibus laus iuſta debetur. Cum ergo per ineffabilem miſericordiam dei captiuis libertas, perditis ſalus, mortuis uita reparatur, cum in ſacramento crucis & reſurrectionis Chriſti ad nouitatem redit uetuſtas, et ad innocẽtiam regeneratur impietas antiquus hoſtis malignus fremit, et acrius inardeſcit: & cum innumeris nocendi artibus humanũ genus nitatur euertere, ſerens diſcordias, incitans iras, auaẽs

cupiditates,

cupiditates, ſuadens turpia, falſa commentans, & errorum laqueos per opinionum commenta multiplicans plus uritur de uirtute ſtantium, quàm lætetur de fragilitate labẽtium. Multi enim ſeruientes deo, & in lege eius die ac nocte meditantes, crucifixerũt carnẽ ſuã cum deſyderijs & cõcupiſcentijs, omniũq; illecebrarum inæntiua domuerunt, nõ damnis uicti, non perſecutionibus fracti, nõ proſperitatibus depra uati, mundum iſtum nec dilexere obſequentẽ, nec timuere terrentem. Tantam itaq; firmitatem, & tam ſublime propoſitũ, qua impugnatione diabolus poſſet adoriri, niſi ut quibus non potuerat perſuadere uitiorum amorẽ, immitteret laudis cupiditatem? & inde nouiſſima inſtrueretur tentatio, unde nocuit prima deceptio. Non itaque deſidioſis & tepidis, neq; inertibus & inaultis, ſed magis quibuſdam animis, ſedulis, & bonorum actuum probitatẽ luculẽtis per gloriam irrepſit humanam, & quos impulſione non mouit, elatione deiecit. Quanto enim clariores erãt meritis, tãto eos aptiores ſuis inuenit inſidijs. In paradiſo nanq; eccleſiæ conſtitutos, & uirtutũ delitijs abundantes ad cõfidentiam liberi incitauit arbitrij, ut profectus ſuos in ſe conſtituerent, & ad arborem propriæ uoluntatis manum præſumptionis extenderent. Reſtiterunt quidem huic impietati recta innumerabilia cœrda ſanctorum, & non ſolũ docti quiq; pontifices,

pontifices, uerumetiã uniuersales ecclesiæ plebes Apostolicæ sedis exemplo insaniam noui dogmatis horruerunt, sed inuenerunt quosdam uiperina concilia, quibus doctrinæ suæ uirus infunderent, & quorum linguam per dolos falsæ rationis armarent. Hinc illa erat naturæ humanæ fraudulenta laudatio, et illæsæ per oẽs homines originalis defensio dignitatis. Hinc Adæ peccatũ exemplo posteris asserebatur nocuisse, non transitu: & quàm illi possibile fuerat non uiolare mandatum, tam liberum esse unicuique declinare delictum. Hinc cuacuatio baptismatis paruulorum, qui sola adoptione donari, nullo autem reatu diærentur absolui. Hinc postremo diuinæ gratiæ simulata & insynæra confessio, quæ secundũ merita daretur, non ex qua merita nascerentur: quàm partem superbæ prædicationis quidam sibi cum cætera abnuerent seruauerũt. Sed hoc eos aut nimis imperite aut ualde nequiter feciſſe nõ dubium est, ut omnium hominum generalem ruinã meritorũ præuilegio subleuarẽt: & cũ inter nostros originalis peccati uulnera fateretur, inter suos tamẽ hoc tenere ostẽderent, quod primorum hominum præuaricatio solis imitatoribus obfuisset. Naturalem autem facultatem nihil sui in alieno amisisse peccato, cui possibile esset & liberum, per uoluntariam deuotionem promereri gratiæ largitatem. Verum istam damnati dogmatis portionem

tionem catholicæ mentes facile intelligunt, & méri
Mat. 9. to detestãtur: Dicẽte enim domino Iesu: Nõ est opus sanis medicus, sed male habẽtibus: Nõ enim ueni uocare iustos, sed peccatores: Conuincuntur ipsi in superbia etiã sine uocæ clamare: Sani sumus, opus medico nõ habemus. Quæ nobis expectanda sunt præsidia de ope gratiæ, quibus suppetũt uires, de incolumitate naturæ? Non aũt frustra Ioannes protestatur &
Ioan. 1. dicit: Ecce agnus dei, ecce q tollit peccatũ mũdi. Nec
Iob. 15. frustra scriptũ est: Nemo mundus à sorde, nec infans
Iob. 14 cuius unius diei uita est super terram. Et quis poterit facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es? Propter quod sicut nunc in
Ioan. 3. ecclesia manet constitutio saluatoris dicentis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum: ita sacratißime erat in lege præcautum, ut natus puer, nisi die circumcideretur octauo, exterminaretur anima eius de populo suo, nullum in hæreditate Israël habitura consortium. Quæ omnia & multo plura documenta nõ tanta cura sacris paginis spiritus sanctus inseruisset, si talis esset natura in filijs Adã, qualis in ipso est principaliter instituta. Sed quia filius dei uenit, ut solueret opera diaboli, & ut quæreret, ac saluaret quod perierat, manifestum est, omnes in Adam damnationi obnoxios esse nascendo, nisi in Christo liberati

berati fuerint renascendo. Vnde uigilanter nobis conſyderandum eſt, in ipſo regenerationis munere quid geratur. Quamuis enim ad unum cõcurrant omnes eiuſdem myſterij portiones, aliud tamen eſt, quod uiſibiliter agitur, aliud quod inuiſibiliter celebratur. Nec idem eſt in ſacramento forma, quod uirtus: cum forma cum humani miniſterij adhibeatur obſequio: uirtus autem per diuini operis præſtetur effectum. Ad cuius utiq; potentiã referendum eſt, quod dum homo exterior abluitur, mutatur interior, et fit noua creatura de ueteri, uaſa iræ in uaſa miſericordiæ transferũtur, et in corpus Chriſti cõuertitur caro peccati. De impijs iuſti, de captiuis liberi, de filijs hominũ fiũt filij dei. Qui nõ ex ſanguinibus, neq; ex uoluntate uiri, neq; ex uoluntate carnis, ſed ex deo nati ſunt. Quod quia indubitanter accipimus, ueriſſimũ eſt qđ Apoſtolus docet, dicẽs: Quicunq; enim ſpiritu dei aguntur, hij filij ſunt dei. Vnde uideant cuius ſe haberi filios uelint, qui definierint oẽs homines uoluntate propria regi, cum idem Apoſtolus proteſtetur & dicat: Qui ſpiritũ Chriſti non habet, hic non eſt eius. Refutata igitur ſuperborũ impia uanitate, quibus in peccatũ etiã illa, quæ in eis uidẽtur laudãda, uertuntur. Nos illam humilitatem, cui uirtus & gloria dei eſt, eligamus, ſcientes Prophetam Dauid ceciniſſe de ſanctis: Domine in lumine uultus tui ambulabunt,

Ioan. 1.

Rom. 8.

Ibidem.

Pſal. 88.

labunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in tua iustitia exaltabuntur, quoniã gloria uirtutis eorum tu es. Qui & alibi pijssime cõfitetur dominum
Psal. 67. in sanctis suis esse laudandum dicens: Mirabilis deus in sanctis suis, deus Israël ipse dabit uirtutem & fortitudinem plebi suæ. Huic etiam Hieremias con-
Hiere. 9. cordat & dicit: Hæc dicit dominus: Non glorietur sapiens in sapientia sua, & nõ glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitijs suis. Sed in hoc glorietur qui gloriatur, intelligere & scire, quia ego sum dominus. Ipse uero intellectus & scientia unde habeantur pandunt Prouerbia Salo-
Prouer. 2 monis, et dicunt: Quoniam dominus dat sapientiã, & à facie eius scientia & intellectus. Vnde in Ecclesiaste libro ipsius legimus, quod & corda & opera iustorum in manu dei sint, & tantum in studijs suis proficiant, quantum eos ille proucxerit: Quantumcunq; inquit, laborauerit homo ut quærat, non inueniet. Et quodcunq; dilexerit sapiens ut sciat, non potest inuenire: quia uniuersum hoc uidit cor meum, quia iusti & sapientes, & operationes eorum in manu dei. Tale est quod Apostolus prædicat, dicens:
1. Cor. 12. Omne uerbum bonum, & omne opus sanctum, donum est spiritus sancti, sine quo nihil recte agatur. Ideo, inquit, notum uobis facio, quod nemo in spiritu dei loquens, dicit anathema Iesu. Et nemo potest

dicere

dicere dominus Iesus, nisi in spiritu sancto. Diuisiones uero sunt gratiarũ, idem autem spiritus: & diuisiones ministrationum sunt, idem autem dominus: & diuisiones operationum sunt, idem uero deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuiq; autem datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alteri operatio uirtutum, alij prophecia, alij discretio spirituũ, alij genera linguarũ, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atq; idem spiritus, diuidens singulis prout uult. Sunt & alia innumerabilia testimonia, quæ ex paginis et noui et ueteris testamenti quadam conclamatione confirmem, hanc esse ueræ humilitatis excellentissimam dignitatem, ut omnia quæ hominem faciunt Christianum, ad diuinæ gratiæ donum referantur. Sed tantam multitudinem sententiarum in unum congerere, immodicum fuit, præsertim cũ mihi sermo esset ad sanctimoniam tuam, cui ex formula eorum quæ cõmemorauimus omnia se aut recordanti offerent, aut legenti, licet quædam etiã breuissima tantæ sint plenitudinis tantæq; uirtutis, ut nullo aduersantis ingenio possint in sensum alium detorqueri. Nam quæ contradictio admitti potest in eo quod ipsa ueritas discipulis suis per Euangelium Ioannis

Ioan .15. annis dixiſſe narratur? Sicut palmes, inquit, non po
teſt facere fructum niſi manſerit in uite, ſic nec nos
niſi in me manſeritis. Ego ſum uitis, uos palmites.
Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructũ: quia
ſine me nihil poteſtis facere. Nónne conuincitur pal
mes elatus, quod omni fertilitate uacuatur, ſi uitis u
bertate non alitur? Quis enim ſine auxilio gratiæ fru
ctum poteſt afferre iuſtitiæ? Aut quis audet dicere ſe
à Chriſto non diuidi, qui Chriſtum in ſe diffitetur
operari? An forte uerendũ eſt ne liberũ tollere uidea
mur arbitriũ, cũ omnia per quæ propitiatur deus, ad
ipſum dicimus eſſe referenda? Quod nequaquã eſſe
conſequẽs ueritatis oſtenditur. Operante enim ſpiri
tu dei, iuuatur arbitriũ, non auferitur. Et hoc agit gra
tia, ut uolũtas peccato corrupta, uanitatibus ebria, ſe
ductionibus circũſepta, difficultatibus impedita, nõ
remaneat in languoribus ſuis, ſed per opẽ miſerentis
medici curata reualeſcat, & gaudeat ſe nõ interro
gantẽ edoctam, et nõ quærentẽ eſſe quæſitam. Quia
Eſa.52. impletur quotidie qđ Eſaias propheta prædixit: Qui
bus nõ eſt annunciatũ de eo, uidebunt, & qui nõ au
1.Ioan.1. dierunt intelligent. Quomodo autem hoc fiat, Ioan
nes Apoſtolus docet dicẽs: Scimus qa ex deo ſumus,
& mundus totus in maligno poſitus eſt. Et ſcimus
quoniam filius dei uenit & dedit nobis ſenſum, ut
cognoſcamus uerũ deum, et ſimus in uero filio eius.

Quod

Quod utiq; nũc eadem potentia dominus indefinen
ter operatur, qui ait: Ecce ego uobiſcũ ſum omnibus
diebus uſq; ad cõſummationem ſeculi. Vt ergo miſe/ Matt. 28.
ricordiã dei quæramus, de miſericordia eſt eius, qui
ait: Miſerebor cui miſertus ero: et miſericordiã præ- Exo. 33.
ſtabo cui miſericordiã præſtitero. Vnde mire per Hie Rom. 9.
remiã idẽ dominus manifeſtat, quod dei gratiã nemo
præueniat merito ſuo: ſed ppter dilectionẽ qua deus
diligit, etiã auerſos ad miſericordiã trahi: Dilectione, Hie. 31.
inquit, æterna dilexi te, propterea traxi te ad miſera/
tionem, quia ædificabo te, & ædificaberis uirgo Iſra
el. Cui ſententiæ Ioannes quoq; Apoſtolus congru/ Ioan. 4.
it dicens: Non quaſi nos dilexerimus deum, ſed quo/
niam ipſe dilexit nos. Et infra: Nos ergo diligamus,
quoniam deus prior dilexit nos. Paulus quoque Apo
ſtolus in eadem eſt ſententia, dicens in Epiſtola ad 2. Timo. 1.
Timothæum. 2. Collabora Euangelio ſecundum uir/
tutem dei, qui nos liberauit, & uocauit uocatione
ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum
propoſitum ſuum, & gratiam quæ data eſt nobis ante
tempera æterna. Ad Titum etiã ſcribens docet, nul/
lo bono hominis merito dei gratiam præueniri: Era/ Titum. 2.
mus, inquit, & nos inſipientes aliquando, incredu/
li, errantes, ſeruientes deſyderijs & uoluptatibus
uarijs, in malicia & inuidia agentes, odibiles, odien
tes inuicem. Cum autem benignitas & humanitas

apparuit saluatoris nostri nō ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrū regenerationis spiritus sancti, quem effudit abunde in nos per Iesum Christum saluatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem uitæ æternæ. Omnis igitur illuminatarum mentium pius motus alienari quidem non potest à propria hominis uoluntate. Siquidem nihil recte faciet, nisi quod uolens egerit: sed ut ad id quod æquum & utile est animi tendat intentio, de illius æternæ & incōmutabilis uoluntatis inspiratione concipitur. Et sicut arte medici fit in oculis caligantibus ut possint uidere quod non uident, nec tamen non ipsorum est uisio, quam medicina contulerit: ita in cordibus tardis & hebetibus per spiritum sanctum acies obducta tergitur, & de uero lumine tenebrosæ iam & deficientes lucernæ lumen accipiunt: nec tamen nisi ipsarum erit quicquid fulgoris accelerint. Vnde dicit dominus: Ignem ueni mittere in terram, & quid uolo nisi ut ardeat? & idem iubet lucernæ nostræ sint semper ardentes, ut scilicet superno igne accensus animus non tepescat, sed studeat semper ardere, ac si uigorē eius aliqua turbarit aduersitas, unde cepit inflammari, inde poscat igniri. Proinde qa manifestissime et prophetica, et euāgelica et apostolica doctrina nec superbos nos uult esse, nec de

Luæ .12.

nec desides cooperatores nos esse oportet gratiæ dei, ut illam excitantē, iuuantem, locupletantē, & quotidie prouehentē, uigilāter et sobrie subsequamur, nun quā cessantes ab actione gratiarū: quia inter secūda uitæ istius et aduersa, quibus gemina semp tētatione pulsamur: si proficimus, inde alimur: si stamus, inde subsistimus: si recidimus, inde reparamur. Dicit enim spiritus p prophetā Dauid: A' domino gressus hominis dirigētur, et uiā eius uolet. Cū ceciderit, nō collidetur: qa dominus supponit manū suā. Nō itaq; frustra præcipitur, ut boni simus, cū dicitur: Declina à malo, et fac bonū. Sed nec frustra per Hieremiā dicit dominus: Timorē meū dabo in cor eorū, & uisitabo eos, ut bonos eos faciā. Nec superflua erat præceptio Pauli apostoli ad Romanos, dicētis: Noli uinci à malo, sed uince in bono malū. Cū Corinthijs dicat: Oramus autē ad deum, ut nihil mali faciatis. In omnibus enim monitis dei atq; mandatis una eadēq; ratio est et diuinæ gratiæ, et humanæ obediētiæ. Nec ob aliud unq; datur præceptū, nisi ut quæratur præcipiētis auxiliū. Voces enim docētiū et literæ paginarū, quæ ad eruditionē audientiū uel legētiū deo seruiūt, nō carent eius uirtute cui seruiunt: et quādo id quod iubetur, ab obediente perficitur, tunc effectus diuini operis declaratur. Vigilant autem tentatoris insidiæ, ut ubi proficit deuotio, subrepat elatio: & ut homo de Psal. 36. Ibidem. Hiere. 32 Rom. 12. 2. Cor. 13.

bono opere in se potius q̃ in domino glorietur. Sed sollicitudo nos Apostoli cõtra hoc periculũ monet dicens: Cũ timore & tremore uestrã salutẽ operamini.
Phil. 2. Deus est enim qui operatur in uobis, et uelle, et operari pro bona uolũtate. Quãto ergo exœllẽtius in mãdatis dei quiq; pficiũt, tãto maiores habẽt causas formidinis et tremoris, ne de ipsis probitatis augmentis mens sibi bene cõscia, & laudis auida, in superbiæ rapiatur excessus, & fiat immunda uanitate, dum sibi uidetur clara uirtute. Sed contra hoc periculum quid beatus Petrus in prima epistola prædicet audiamus:
1. Pet. 4. Si quis, inquit, loquitur, tanquam sermones dei: si quis ministrat, tanquã ex uirtute, quam administrat deus, ut in omnibus honorificetur deus per Iesum Christum, cui est gloria & imperiũ in sæcula.
2. Pet. 1. Itẽ idem in Epistola secunda: Gratia, inquit, uobis adimpleatur in recognitione domini nostri Iesu Christi, qui nunc omnia nobis diuina uirtute sua quæ ad uitam & pietatem pertinent, donauit per agnitionem suam, qui uocauit nos propria gloriæ uirtute, per quam maxima nobis & preciosa promissa donauit: ut per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. Si ergo omnia quæ ad uitam & pietatem pertinent, deus nobis diuina sua uirtute donauit, nihil magis fugiendum est, quàm appetitus huius

concupi

concupiscentiæ, quæ uirtutem negat diuini operis amore propriæ dignitatis. Et cum aliæ cupiditates ea tantum bona, quibus aduersantur imminuãt, hæc dum omnia ad se trahit, simul uniuersa corrumpit. Cum itaque totius superbiæ generale nomen odiosum sit, siue illa de honore suo, seu de nobilitate uel de immodicis opibus intumescat, hæc pars ipsius omnibus tentationibus nocentior inuenitur, quæ uidetur ijs, quas perditas cupit, amica esse uirtutibus. Sed quia sublimiora quæque grauius corruunt, gaudet princeps superbiæ, eos, quos potuerit sua impulsione prosternere, ad celsiora creuisse. Huic autem malo firmissimum bonum humilitatis occurrit. Quam idco diximus ueram, quia omnium uirtutum inexpugnabilis fortitudo, & quædam suorum est uita membrorum. Discernimus enim illam ab ijs officijs, quæ potest etiam cum mundi sapientibus habere communia, & in eo proprietatem ipsius definimus, quod per omnia deo subditur. Nec potest quicquam de meritis suis perdere, quorum causas atque prouectus non in se, sed in suo authore constituit. Dignum quippe est, ut imago dei deo splendeat: & inde pulchra, inde sit compta, dicens: Signatum est super nos lumen uultus tui domine. Alioquin adultera est, & à diuino aliena coniugio, si alterius cuius- Psal. 4.

quam decorem in ſpeculo ſui cordis oſtentat: aut ul-
lis alijs monilibus acquieſcit ornari, niſi illis, quæ
de theſauris ſponſi per ſancti ſpiritus pignus acce-
pit. Si autem quælibet anima Chriſtiana huius de-
bet continentiæ ſoliditate muniri, quia omnes nu-
ptiale ſacramentum, in quocunque uocationis ſuæ
ordine ſuſceperunt, quanto magis perſonæ tuæ di-
gnitas præſidio huius uirtutis armanda eſt, cui de
opulentiſſimis gratiæ dei donis, tam multiplex ſe in-
gerit materia gloriandi. Quamuis enim communis
tibi ſit cum multarum uirginum puritate uirginitas,
non tamen facile reperitur, quæ poſſit tibi magnifi-
centia domus & ſplendore antiquiſſimæ familiæ com
parari. De qbus ut nõ ſuperbias, nec tibi hoc ipſum
quod eis Chriſtũ propoſueris aſcribas, ipſa eſt uera
humilitas, uera charitas, uera uirginitas. Ab omni
quippe cõtaminatione mens libera eſt: quæ ſiue in ſe,
ſiue in proximo nihil diligit, niſi quod ex deo eſſe
nouit. Nam amare aliquid, quod nõ ex opere & ſpi
ritu dei ſit, non eſt caſta dilectio: & ſufficit tentatori
ſublimes & claras animas hac illuſione uiolaſſe, ut
quas ad illicita non impulit, placendi ſibi ad elatio-
nem deiecerit. De hac charitate ſine dubio Apoſtolus
loquebatur, & iſtius proprietatẽ ſubtiliſſimis diſcre
i. Cor. 13. tionibus eliquabat, dicẽs: Si linguis hominũ loquar
& angelorum, charitatem autem non habeam, fa-
ctus

ctus sum uelut es sonãs, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiã, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeã, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatẽ autem non habuero, nihil mihi prodest. In quarũ definitionũ formula multo laborãremus obscurio, nisi sequẽtia demonstrarẽt, quæ esset species istius charitatis, cui soli tot operum labores, tot uirtutum merita non perirent. Esto enim ut multiplex loquendi peritia, quæ non solum ad omnem humanæ facundiæ artem, sed etiam ad angelici eloquij peruenerit facultatẽ, si charitate careat, inutilis eris sono, & tinnitui sit comparabilis cymbalorum. Esto ut habens prophetiam, sciẽtiam, habens fidem dæmonibus imperantem, nihil sit, qui à charitate sit uacuus: ut etiã ille ab hac esse possit alienus, qui in alimoniam pauperũ suas distribuerit facultates, uel qui corpus suum igne torrendũ pro Christi cõfessione tradiderit, incredibile uideretur, nisi beatus Paulus hoc diceret: qui tamen cum eiusdem charitatis membra describeret, docereté; qualis esset hæc uirtus, sine qua nullæ possint prodesse uirtutes: Charitas, inquit, patiens est, benigna est, charitas nõ æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambi- i. Cor. 13.

tiosa, non quærit quæ sua sunt, & reliqua. Inflatio ergo & ambitio, & propriorum bonorum superba defensio, possunt destruere eleemosynas, possunt euacuare martyria. Si & magnas opes amore quis humanæ laudis effundat, & sæua supplicia non ea fortitudine quam deus tribuit, sed eam quam de se præsumpsit excipiat. Hoc est enim propria fiducia inflari, hoc uanam gloriam quibuslibet ambire dispendijs, hoc postremo est nolle habere quæ dei sunt, & ibi suum constituere meritum, ubi diuinum cessarit auxilium: hæc superbia omni peccato nocentior, omni genere est elationis insanior. A' quibuslibet enim lapsibus delictorum facile surgitur, quando opem á reparatore suo poscit elisus. Huic autem ruinæ nihil subuenit: quia aut difficile peccatum suum superbus agnoscit, aut etiam si intellexerit, non currit ad medicum: sed de se sibi remedium pollicetur: nec unquam proficit cura, ubi morbus est ipsa medicina. Hunc autem corruptißimum pestilentiæ istius flatum spiritus ueræ humilitatis, & ueræ charitatis excludit. In nullo enim hæ uirtutes abinuicem diuiduntur, & ambarum tam indiscreta connexio est, ut qui in una earum cõstruitur, simul utraque potiatur. Sicut enim pars charitatis est humilitas, ita pars humilitatis est charitas. Et si illa recolamus, quæ sine bono charitatis infructuosa

ctuosa esse Apostolus definiuit, inueniemus eadem similē habere charitatē, si eis humilitas uera defuerit. Quem enim fructū habebit, aut cum inflatione scientia, aut cum humana gloria fides, aut cū iactantia largitas, aut cū elatione martyrum. Vnde quia in districtione superbiæ & humilitas tēdit et charitas, de utraq; habeatur dictū quicquid de una est disputatum. Superest nūc sacratissima dei uirgo, ut sobrio castoq; iudicio sancti cordis tui archā discutias: & aculeo totius elationis obtrito, inuestiges in te, atq; denumeres, quæ & qualia tibi sponsus tuus dona cōtulerit, quæ à me non oportuit recenseri, ne aut plura contexerem, aut pauciora percurrerem. Verecundiæ enim tuæ onerosa foret etiam uera laudatio: & ipse cōtra disputationē meā facerē, si cui ab humana gloria continentiā suasissem, ad eandē te tuis præconijs incitarē. Ipsa ergo aulā tuæ mētis īgredere, et in secretario purißimæ cōscientiæ tuæ, qualia tibi reposita sint, ornamēta circumspice, et qcquid ibi splendidum, quicqd pulchrū preciosumq; reppereris, diuini operis & muneris eße ne dubites. Ita ut in omnibus bonis opulentiæ tuæ & gratiā donatoris, et ius proprietatis agnoscas. Accepisti enim quæ habes: et quicquid tibi diligētia tui laboris accreuit, per ipsum tibi est auctū, ꝑ quē fuerat inchoatū. Itaq; utendum tibi est ijs, quæ largitus est deus, & ab eodē semper est

petendum,

petendum, ut donis eius fideliter & scienter utaris. Quid enim nobis boni potest esse sine ipso? quando quidem etiã ut recte oremus ex ipso est, dicente Apo
Rom. 8. stolo: Nam quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desyderet spiritus, quoniam secundum deum postulat pro sanctis. Et ne dubium esset de quo spiritu loqueretur, iam supra dixerat: Non enim accepistis spirtum seruitutis iterum in timorẽ, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: abba pater. Itaq; ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quoniam sumus filij dei. Si autem filij, & hæredes: hæredes quidẽ dei, cohæredes aũt Christi: si tamẽ cõpatimur ut cõglorificemur. Implet igitur spiritus sanctus organum suum, & tanquam fila Chordarũ tangit digitus dei corda sanctorũ. Qui ideo cum die pentecostes in Apostolos, plebemq; credentium, sicut a domino fuerat promissus, influeret, in specie linguarum apparuit ignearum, et loquelis omnium nationum eos, super quos inciderat, fecit affari: ut dubiũ non esset per ipsius inspirationem utilem affectum, rationabilem sermonem, animis fideliũ ministrari. Sicut ipse dominus discipulis suis insinuauit et dixit:
Mat. 10. Cum autẽ tradent uos, nolite cogitare, quomodo aut qd loquamini: dabitur enĩ uobis in illa hora quid loquamini.

quamini. Nõ enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris, qui loquitur in uobis. Quod nõ in solo magnarum tribulationum tempore credamus fieri, sed etiã in pace præstari, audiamus Apostolum definientem, quod ipsæ quoque cogitatiões nostræ, nisi à deo nobis insitæ fuerint, rectæ esse nõ possint: Fiduciam, inquit, talẽ habemus per Christũ ad deũ, nõ quod sufficiẽtes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex deo est. Vnde cum sanctorũ animis ex deo sit, ut illis meditatio iusta, petitio efficax, actio ex deo sit, in fide firmitas, in tribulatione patiẽtia, in persecutione uictoria, magna est in uera humilitate felicitas, cui deus dilectio, deus sapientia, deus consilium, deus fortitudo est. Nec dubie ista subiectio iam ex magna parte in illius futuræ beatitudinis est constituta consortio, ubi deus erit omnia in omnibus. Quod ideo in hac uita ad plenum non potest obtineri, quia nondum mortale nostrũ induit immortalitatem, nec corruptio transijt in incorruptionem, caro adhuc contra spiritum, & contra carnem spiritus cõcupiscit, nec inuenitur in nullo hominum tanta concordia, ut lege mentis, lex quæ membris est insita non repugnet. Propter quod ex omniũ sanctorum persona accipitur, quod Ioannes Apostolis ait: Si dixermus quoniã peccatum nõ habemus, nosipsos seducimus, & ueritas in nobis nõ est. Cum 2. Cor. 3. 1. Ioan. 1.

tamen

tamẽ idem ipſe dicat: Qui natus eſt ex deo, peccatũ nõ facit, quoniã ſemen ipſius in eo manet: & nõ potẽſt peccare, quoniã ex deo natus eſt. Vtrũq; ergo uerum eſt: qa et nemo ſine peccato eſt, in eo quod nemo eſt ſine lege peccati: et q natus eſt deo, peccatũ nõ facit, quia p legẽ mentis, id eſt, per charitatẽ, quæ dei
1.Petr.4. ſemen eſt, peccatum nõ facit. Charitas enim operit multitudinẽ peccatorũ, & ſine qua nullũ prodeſt bo
Sapi.9. num per quã delctur omne peccatũ. Dum igitur corpus, quod corrũpitur, aggrauat animã, & deprimit terrena habitatio ſenſum multa cogitantẽ, nõ quidẽ obtinetur, ut iam anima in oĩbus deus ſit: quia nullus eſt ſine tentationis ſtimulo, & ſine mutabilitatis
Iacobi.1. incerto. Sed quia omne datũ optimũ, & omne donũ perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminũ, ſine dubio inde habetur uirtutũ omnium portio, unde habebitur plenitudo: & tanto quiſq; eſt beatior, deoq; cõiunctior, quãto plus in eo fuerit gratiæ diuinæ, quàm actionis humanæ. Benedic itaq; domino in omni tempore, & laus eius in tuo ore ſit ſemper. Anima autem tua nõ acquieſcat, niſi in domino laudari. Superbi quidem refragabuntur, ſed manſueti hæc audient & lætabuntur.

Finis Epiſtolæ Sancti Ambroſij
ad Demetriadem.

BASILEAE APVD THOMAM
VOLFFIVM TERTIO NO
NAS DECEMB. AN.
M. D. XXIIII.

Digito compesce labellum.

Multa quidem audienda, pauca vero dicenda.

Dixisse, aliquando pœnituit, tacuisse nunquam.

THOMAS VOLFIVS.



DE LIBE-
RO ARBI TRIO ΔΙΑ-
ΤΡΙΒῊ, *siue Collatio, De-*
siderij ERASMI
Roteroda.

Primum legito, deinde iudicato.

Dixisse, aliquando pœnituit, tacuisse nunquam.

IN NOMINE IESV.

DE LIBERO ARBITRIO ΔΙΑΤΡΙΒΗ sive Collatio, per Desiderium Erasmum Roterodamum.

INTER difficultates, quæ non paucæ occurrunt in diuinis literis, uix ullus Labyrinthus inexplicabilior, quàm de libero arbitrio. Nam hæc materia iam olim philosophorum, deinde theologorum etiam, tum ueterum, tum recentium ingenia mirum in modum exercuit, sed maiore, sicut opinor, negocio quàm fructu. Nuper autem renouata est per Carolstadium & Eccium, sed moderatiore conflictatione: mox autem uehementius exagitata per Martinũ Lutherum, cuius extat de libero arbitrio assertio. Cui tam etsi iam non ab uno responsum est, tamen quando ita usum est amicis, experiar & ipse, num ex nostra quoque conflictatiuncula ueritas reddi possit dilucidior. Hic scio quosdam protinus obturatis auribus reclamaturos, ἄνω ποταμῶν, Erasmus audet cum Luthero congredi, hoc est, cum elephanto musca: Ad quos placandos, si tãtillum silentij licebit impetrare, nihil aliud præfabor in præsentia quam id quod res est, me nunq̃ uoluisse in uerba Lutheri. Proinde nemini uideri debe-

bat indignum, si cubi palàm dissentirem ab illo, nimirũ ut nihil aliud, homo ab homine, tantum abest, ut nefas sit de illius aliquo dogmate ambigere, multo minus, si quis ueritatis eliciendæ studio, moderata disputatione cum illo congrediatur. Certe Lutherũ ipsum nõ arbitror indigne laturũ, si cubi quis ab ipso dissentiat, quũ ipse sibi permittat, non solum ab omnium ecclesiæ doctorum, uerum etiam ab omnium gymnasiorum, conciliorum, Pontificum decretis appellare: quod quũ ipse palàm & ingenue profiteatur, mihi non debet apud illius amicos esse fraudi, si repeto. Proinde ne quis hanc pugnam interpretetur, qualis solet esse inter cõmissos gladiatores, cum unico illius dogmate conflictabor, nõ in aliud, nisi ut, si fieri queat, hac collisione scripturarum & argumentorum fiat euidentior ueritas, cuius indagatio semper fuit honestissima studiosis. Res sine conuicijs agetur, siue quia sic magis decet Christianos, siue quia sic certius inuenitur ueritas, quæ sæpe numero nimium altercando amittitur. Equidem non ignorabam, quàm non essem ad hanc appositus palæstram: certe uix alius quisquam minus exercitatus, ut qui semper arcano quodã naturæ sensu abhorruerim à pugnis: eoq; semper habui prius in liberioribus Musarum campis ludere, quàm ferro cominus cõgredi. Et adeo non delector assertionibus, ut facile in Scepticorum sententiam pedibus discessurus sim, ubicunq; per diuinarum scripturarum inuiolabilem autoritatẽ,

& ecclesiæ

& ecclesiæ decreta liceat, quibus meum sensum ubiq; libens submitto, siue assequor quod præscribit, siue nõ assequor. Atq; hoc ingenium mihi malo, quàm quo uideo quosdam esse præditos, ut impotenter addicti sententiæ, nihil ferant, quod ab ea discrepet: sed quicquid legunt in scripturis, detorquẽt ad assertionem opinionis, cui se semel manciparunt. sicuti iuuenes qui puellam amant immoderatius, quocunq; se uertunt, imaginantur se uidere quod amãt. Immo, ut, quod est similius, conferam, quemadmodum inter eos inter quos incruduit pugna, quicquid forte ad manum est, siue cantarus sit, siue discus, in telũ uertitur. Apud sic affectos quod obsecro potest esse syncerum iudicium? aut quis ex huiusmodi disputationibus fructus, nisi ut uterq; ab altero consputus discedat? Semper autem erunt quàm plurimi tales, quales describit Petrus Apostolus, indocti & instabiles, qui deprauant scripturas ad suã ipsorum perditionem. Itaq; quod ad sensum meum attinet, fateor de libero arbitrio multa uariaq́; tradi à ueteribus, de quibus nondum habeo certam persuasionem, nisi quod arbitror esse aliquam liberi arbitrij uim. Legi quidem Martini Lutheri assertionem, & integer legi, nisi quod illic fauorem quendam in illum mihi sumpsi, nõ aliter quàm cognitor fauere solet grauato reo. Et quanquam ille rem omnibus præsidijs magnoq́; spiritu uersat agitq́;, mihi tamen, ut ingenue fatear, nondum persuasit. Quod si quis uel ingenij tarditati, uel

2. Petri 3.

imperitiæ uelit aſſcribere, cum hoc non contendã, modo tardioribus etiam permittant, uel diſcendi gratia, congredi cum his quibus dei donum uberius contigit: præſertim quum Lutherus minimũ tribuat eruditioni, plurimum ſpiritui, qui nonnunquam inſultat quædã humilioribus, quæ σοφοῖς illis negat. Hæc ad illos, qui fortiter clamant, Luthero plus eſſe eruditionis in minimo digitulo, q̃ Eraſmo in toto corpore, quod ego ſanè nũc non refellam. Ab iſtis quamlibet iniquis, tamen illud, opinor, impetrabo, ut ſi per me cõceditur in hac diſputatione Luthero, ne quo pacto grauetur præiudicio doctorum, conciliorũ, Academiarum, Pontificũ & Cæſaris, ne meam cauſſam deteriorem faciat quorundã in iudicando temeritas. Etiam ſi uiſus ſum mihi, quod illic Lutherus tractat, percepiſſe: attamen fieri poteſt ut me mea fallat opinio: eoq; diſputatorem agam, non iudicem: inquiſitorẽ, non dogmatiſten, paratus à quocunq; diſcere, ſi quid adferatur rectius aut cõpertius. Quanq̃ illud libenter pſuaſerim mediocribus ingenijs in huius generis quæſtionibus nõ adeo ptinaciter contendere, quæ citius lædãt Chriſtianã concordiã, q̃ adiuuent pietatẽ. Sunt. n. in diuinis literis adyta quædã, in quæ deus noluit nos altius penetrare, & ſi penetrare conemur, quo fuerimus altius ingreſſi, hoc magis ac magis caligamus, quo uel ſic agnoſceremus & diuinæ ſapiẽtiæ maieſtatẽ imperueſtigabilẽ, & humanæ mentis imbecillitatem. Quemadmodũ de ſpecu quodã Co-

ricio

ricio narrat Pomponius Mela, qui primũ iucũda quã-
dam amœnitate allectat ac ducit ad se, donec altius
atq; altius ingressos tandẽ horror quidam ac maiestas
numinis illic inhabitantis submoueat. Huc igitur ubi
uentum erit, mea sententia cõsultius ac religiosius etiã
fuerit, clamare cũ Paulo: O altitudo diuitiarũ sapien- Rom. 11.
tiæ & scientiæ dei, quàm incomprehensibilia sunt iu-
dicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius. Et cũ Esaia:
Quis audiuit spiritum domini, aut quis consiliarius Esaiæ. 40.
eius fuit: quàm definire quod humanæ mentis exce-
dit modum. Multa seruantur ei tempori, quum iam nõ
uidebimus per speculum & in ænigmate, sed reuelata
facie domini, gloriam contemplabimur. Ergo meo
quidem iudicio, quod ad liberum arbitrium attinet,
quæ didicimus è sacris literis, si in uia pietatis sumus,
ut alacriter proficiamus ad meliora, relictorum obli-
ti: si peccatis inuoluti, ut totis uiribus enitamur, adea-
mus remedium pœnitentiæ, ac domini misericordiam
modis omnibus ambiamus, sine qua nec uolũtas huma
na est efficax, nec conatus: & si quid mali est, nobis
imputemus: si quid boni, totum asscribamus diuinæ be
nignitati, cui debemus & hoc ipsum quod sumus, cæ-
terum quicqd nobis accidit in hac uita siue lætum, siue
triste, ad nostrã salutẽ ab illo credamus ẽmitti, nec ulli
posse fieri iniuriã à deo natura iusto, etiã si qua nobis
uidentur accidere indignis. Nemini desperandũ esse
ueniam à deo natura clementissimo. Hæc inquã, tene-

re, meo iudicio, satis erat ad Christianã pietatem, nec erat irreligiosa curiositate irrumpendũ ad illa retrusa, ne dicam superuacanea: An deus contingenter præsciat aliquid: Vtrum nostra uoluntas aliqd agat in his q̃ pertinent ad æternam salutem: An tantum patiatur ab agente gratia: An quicquid facimus, siue boni, siue mali, mera necessitate faciamus, uel patiamur potius. Sunt quædam quæ deus omnino uoluit nobis esse ignota, sicut diem mortis, & diem extremi iudicij. Non est uestrum nosse tempora uel momẽta, quæ pater posuit in sua potestate, Actorum 1. & Marci 13. De die autem illa uel hora nemo scit, neq; angeli in cœlo, neq; filius, nisi pater. Quædam uoluit nos scrutari, sic, ut ipsum in mystico silentio ueneremur. Proinde multa sunt loca in diuinis uoluminibus, in quibus quum multi diuinarint, nullus tamen ambiguitatem planè resecuit: uelut de distinctione personarum: de conglutinatione naturæ diuinæ & humanæ in Christo: de peccato nunquam remittendo. Quædam uoluit nobis esse notissima, quod genus sunt, bene uiuendi præcepta. Videlicet hic est sermo dei, qui neq; petendus est è sublimi conscenso cœlo, neque è longinquo importandus transmisso mari, sed propè adest in ore nostro, & in corde nostro. Hæc omnibus ediscenda sunt, cætera rectius deo committuntur, & religiosius adorantur incognita, quàm discutiuntur imperuestigabilia. Quot examina quæstionum uel contentionum potius nobis peperit personarum

Deut. 30.
Ad Ro. 10

narum distinctio, ratio principij, distinctio natiuitatis & processionis? Quas turbas concitaut in orbe dimicatio de Conceptione θεοτόκου Virginis? Quæso, quid hactenus his operosis quæstionibus profectũ est, nisi quod magno cõcordiæ dispendio, minus amamus, dum plus satis uolumus sapere? Iam sunt quædam eius generis, ut etiam si uera essent, & sciri possent, nõ expediret tamen ea prostituere promiscuis auribus. Fortasse uerum est, quod solent garrire sophistæ, deum secundum naturam suam non minus esse in antro scarabei, ne quid dicam obscœnius, quod istos tamen nõ pudet dicere, quàm in cœlo: & tamen hoc inutiliter disputaretur apud multitudinẽ. Et tres esse deos, ut uere dici possit iuxta rationem dialectices: certe apud multitudinem imperitam magno cum offendiculo diceretur. Si mihi constaret, quod secus habet, hãc confessionem qua nunc utimur, nec fuisse institutam à Christo nec ab hoĩbus potuisse institui, & ob hoc non exigendam à quoquã: item non requiri satisfactionem pro cõmissis: uererer tamẽ eam opinionem publicare, quod uideam plerosq; mortales mire propensos ad flagitia, quos nunc utcunq; cohibet, aut certe moderatur confitendi necessitas. Sunt quidam corporum morbi, qui minore malo tolerantur, q̃ tolluntur, ueluti si quis in calido sanguine trucidatorum infantum lauet, ut lepra careat. Ita sunt qdam errores, quos minore pnicie dissimules, q̃ cõuellas. Paulus nouit discrimen inter ea quæ

licent, & ea quæ expediunt. Licet uerum dicere, uerũ non expedit apud quoslibet, nec quouis tempore, nec quouis modo. Si mihi constaret in synodo quippiã per peram fuisse constitutum aut definitum, liceret quidẽ uerum profiteri, at non expediret, ne malis præberetur ansa contemnendi patrum autoritatem, etiã in his quæ pie sancteq; statuissent, mallemq; dicere, sic illis tum pro ratione temporum probabiliter uisum fuisse, quod tamen præsens utilitas suadeat abrogari. Fingamus igitur in aliquo sensu uerũ esse, quod docuit Vuicleuus, Lutherus asseruit: Quicquid fit à nobis, nõ libero arbitrio, sed mera necessitate fieri, quid inutilius quàm hoc paradoxon euulgari mundo? Rursum fingamus esse uerum iuxta sensum aliquẽ quod alicubi scribit Augustinus: Deum & bona & mala operari in nobis, & sua bona opa remunerari in nobis, et sua mala opera punire in nobis. Quantam fenestram hæc uulgo prodita uox innumeris mortalibus aperiret ad impietatem? præsertim in tanta mortalium tarditate, socordia, malicia, & ad omne impietatis genus irreuocabili pronitate? Quis infirmus sustinebit perpetuam ac laboriosam pugnam aduersus carnem suam? Quis malus studebit corrigere uitam suam? Quis inducere poterit animũ, ut deum illum amet ex toto corde, qui tartarum fecerit æternis cruciatibus seruẽtem, ut illic sua malefacta puniat in miseris, quasi supplicijs hominum delectetur? Sic.n. interpretantur plerique. Sunt enim

enim ferme mortalium ingenia crassa et carnalia, prona ad incredulitatem, procliuia ad scelera, propensa ad blasphemiã, ut non sit opus oleum addere camino. Itaq; Paulus tanquã prudens dispensator sermonis diuini, frequenter adhibita in consiliũ charitate, mauult id sequi, quod expedit proximo, q̃ qd̃ ex sese licet: & habet sapientiã quam loqtur inter perfectos, inter infirmos nihil iudicat se scire, nisi Iesum Christũ, & hũc crucifixum. Habet scriptura sacra linguã suam, semet ad nostrũ sensum attemperãs. Illic enim irascitur deus, dolet, indignatur, furit, cõminatur, odit, rursus miseretur, pœnitet, mutat sententiam: nõ quod hmõi mutationes cadant in naturã dei, sed quod sic loqui conueniebat infirmitati tarditatiq; nostræ. Eadem prudentia de cet illos opinor, qui dispensandi sermonis diuini partes susceperunt. Quædam ob hoc ipsum noxia sunt, quod apta non sint, quemadmodum uinum febricitanti. Proinde tales materias fortassis tractare licuerat in colloquijs eruditorum, aut etiam in scholis theologicis, quanquam ne hic quidem expedire putarim, ni sobrie fiat, cæterum hoc genus fabulas agere in theatro promiscuæ multitudinis, mihi uidetur non solum inutile, uerum etiam perniciosum. Malim igitur hoc esse persuasum in huiusmodi Labyrinthis non esse terendam ætatem aut ingenium, q̃ Lutheri dogma uel refellere, uel asserere. Hæc uerbosius præfatus merito uidear, nisi penè magis ad rem pertinerent, quàm ipsa

disputatio. Iam quando Lutherus non recipit auctoritatem ullius scriptoris, quantiuis approbati, sed tantum audit scripturas Canonicas, sanequàm libens amplectar hoc laboris compẽdium. Quum enim tũ apud Græcos, tum apud Latinos innumeri sint, qui uel ex professo, uel per occasionem tractant de libero arbitrio, non mediocris negocij fuerit ex omnibus colligere, quid quisq; pro libero arbitrio, aut contra liberum arbitrium dixerit, & in explicandis singulorum dictorum sensibus, aut diluendis confirmãdis ue illorum argumentis, prolixam ac molestam operã sumere, apud Lutherum & huius amicos etiam inanem, præsertim quum illi non solum inter sese uarient, uerum etiã ipsi sibi non satis constẽt aliquoties. Et tamẽ illud interim lectorem admonitum uelim, si scripturæ diuinæ testimonijs ac solidis rationibus uidebimur cum Luthero paria facere, ut tum denique sibi ponat ob oculos tam numerosam seriem eruditißimorum uirorum, quos in hunc usq; diem tot seculorum consensus approbauit: quorum plerosq; præter admirabilem sacrarum literarum peritiam, uitæ quoq; pietas commendat: quidã etiam doctrinæ Christi, quam scriptis defenderant, sanguine suo testimonium reddiderunt, quales sunt apud Græcos, Origenes, Basilius, Chrysostomus, Cyrillus, Ioannes Damascenus, Theophylactus: apud Latinos, Tertullianus, Cyprianus, Arnobius, Hylarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, nc recenseam interim,

Thomas,

Thomas, Scotos, Durãdos, Capreolos, Gabrieles, Aegidios, Gregorios, Alexandros: quorum in argumentando uim & argutiam nõ arbitror cuiquã esse prorsus contemnendam: utq; interim semoueam tot Academiarum, conciliorũ, ac summorũ pontificum autoritatem. A tẽporibus Apostolorũ ad hũc usq; diem, nullus adhuc scriptor extitit, qui in totũ tolleret uim liberi arbitrij, præter unum Manichæũ & Ioãnem Vuijcleuũ. Nam Laurentij Vallæ, qui propemodum uidetur cum his sentire, autoritas non multum habet apud theologos põderis. Manichæi uero dogma, quũ iam olim magno totius orbis cõsensu explosum sit & exibilatũ, tamẽ haud scio, an minus inutile sit ad pietatẽ, q̃ Vuijcleui. Ille enim bona malaq; opera refert ad duas in homine naturas, sic tamen, ut opera bona debeamus deo propter conditiõem, & interim aduersus potestatem tenebrarum relinquit caussas implorandi opem conditoris, qua prouecti, leuius peccamus, & facilius operamur bonum. Vuijcleuus autem omnia referẽs ad meram necessitatem quid relinquit uel precibus nostris, uel conatui? Igitur ut ad id quod institueram, reuertar. Si lector uiderit meæ disputatiõis apparatum ex æquo pugnare cum parte diuersa, tum illud secum expẽdat, utrum plus tribuendum esse iudicet tot eruditorũ, tot orthodoxorum, tot sanctorum, tot martyrum, tot uetustum ac recentium theologorum, tot Academiarũ, tot conciliorum, tot episcoporum & summorum Pontificum

ſicũ præiudicijs, an unius aut alterius priuato iudicio. Non quod, ut fit in humanis cõſeßibus, ex numero ſuffragiorum, aut ex dignitate dicentium metiar ſententiam. Scio frequenter uſu uenire, ut maior pars uincat meliorem: ſcio non ſemper eſſe optima, quæ plurimis probantur: ſcio nunquam defuturum in indagatione ueri, quod ſuperiorũ adijciatur induſtriæ. Fateor pareſſe, ut ſola diuinæ ſcripturæ autoritas ſuperet omnia mortalium omnium ſuffragia. Verum hic de ſcripturis non eſt controuerſia. Vtraq; pars eandem ſcripturam amplectitur ac ueneratur: de ſenſu ſcripturæ pugna eſt. In cuius interpretatione ſiquid tribuitur ingenio et eruditioni: quid Græcorum ingenijs acutius, aut perſpicacius? Quid in literis ſacris exercitatius? Nec Latinis defuit ingenium, nec literarum ſacrarum peritia, qui ſi naturæ felicitate ceſſerunt Græcis, certe monumentis illorum adiuti, potuerunt Græcorum induſtriam æquare. Quod ſi in hoc iudicio magis ſpectatur uitæ ſanctimonia q̃ eruditio, uides quales uiros habeat hæc pars, quæ ſtatuit liberum arbitriũ. Faceſſat odioſa, quod aiũt iureconſulti, cõparatio. Nolim enim quoſdam iſtos noui Euangelij præcones, cũ ueteribus illis conferre. Hic audio: Quid opus eſt interprete, ubi dilucida eſt ſcriptura? Si tã dilucida eſt, quur tot ſeculis uiri tam excellentes hic cæcutierũt, idq; in re tanti momenti, ut iſti uolunt uideri? Si ſcriptura nihil habet caliginis, quid opus erat Apoſtolorum tẽporibus prophetia?

phetia? Hoc erat donũ ſpiritus. Sed haud ſcio, an quẽadmodũ ſanationes & linguæ ceſſarũt, ita ceſſarit & hoc charisma. Quod ſi non ceſſauit, quærendum eſt, in quos deriuatum ſit. Si in quoslibet, incerta erit omnis interpretatio, Si in nullos, quum & hodie tot obſcuritates torqueãt doctos, nulla erit interpretatio certa. Si in eos qui ſucceſſerunt in locum Apoſtolorum, reclamabunt multis iam ſeculis multos ſuccedere in locum Apoſtolorum, qui nihil habent ſpiritus apoſtolici. Et tamen de illis, ſi cætera paria ſint, probabilius præſumitur, quod deus his infundit ſpiritum, quibus tribuit ordinem: quemadmodum ueriſimilius credimus baptizato datam gratiam, quàm non baptizato. Sed donemus, ſicuti reuera donandum eſt, fieri poſſe, ut unicuipiã humili & idiotæ reuelet ſpiritus, quod multis eruditis non reuelauit, quandoquidem hoc nomine Chriſtus gratias agit patri, quod quæ celaſſet ſapientes & prudentes, hoc eſt, ſcribas, phariſæos et philoſophos, reuelaſſet νηπίοις, hoc eſt, ſimplicibus, & iuxta mundum ſtultis. Et fortaſſe talis ſtultus fuit Dominicus, talis Franciſcus, ſi licuiſſet illis ſuum ſequi ſpiritum. Sed ſi Paulus ſuo ſeculo, quo uigebat donum hoc ſpiritus, iubet probari ſpiritus, an ex deo ſint, quid oportet fieri hoc ſeculo carnali? Vnde igitur explorabimus ſpiritus? Ex eruditione? Vtrinque Rabini ſunt. Ex uita? Vtrinque peccatores. In altera totus ſanctorum chorus, qui ſtatuunt liberum arbitrium.

Verum aiunt, sed homines erant. At ego iam homines confero cum hominibus, non homines cum deo. Audio: Quid multitudo facit ad sensum spiritus? Respondeo: Quid facit paucitas? Audio: Quid facit mitra ad intellectum scripturæ diuinæ? Respondeo: Quid facit sagum, aut cuculla? Audio: Quid facit cognitio philosophiæ, ad cognitionem sacrarum literarum? Respõdeo: Quid facit insciti a? Audio: Quid facit ad intellectum scripturæ congregata synodus, in qua fieri potest ut nullus habeat spiritum? Respondeo: Quid faciunt conuenticula priuata paucorum, in quibus ueri simillius est neminem esse, qui habeat spiritum? Paulus
2. Cor. 13. clamat: An experimentum quæritis inhabitantis in me Christi? Nõ credebatur Apostolis, nisi miracula fidem adstruxissent doctrinæ: nunc quilibet postulat sibi credi, quod affirmet se habere spiritum Euangelicũ. Apostoli quoniam excutiebant uiperas, sanabant ægrotos, excitabãt mortuos, imposita manu dabant donum linguarum: ita demum creditum est, & uix creditũ est illis paradoxa docentibus. Nunc quum iuxta communem opinionem adferant penè παραδοξότερα, nullus illorum adhuc extitit, qui uel equum claudum sanare potuerit. Atq; utinam quidam absq; miraculis præstarent syncerit atem ac simplicitatem morum Apostolicarum, qui nobis tardiusculis essent miraculorum uice. Nõ hæc proprie dixerim in Lutherum, quem de facie non noui, ac scripta hominis legens, uarie afficior, uerum

uerum in alios quosdam mihi propius notos, qui si quid controuersiæ incidit de sensu scripturæ, nobis ueterum orthodoxorum interpretationem adferentibus, statim occinunt, homines erant. Rogantibus quonam argumẽto sciri possit quæ sit uera interpretatio scripturæ, quum utrinq; sint homines, respondent, indicio spiritus. Si roges, quur illis, quorum aliquot etiam miraculis editis inclaruere mundo, defuerit spiritus potius quàm ipsis: sic respondent, quasi mille trecentis annis nullum fuerit Euangelium in mundo. Si requiras ab illis uitam spiritu dignam, respondent, se fide iustos esse, non operibus. Si requiras miracula, dicunt iam olim cessasse, nec opus esse iam in tanta luce scripturarum. Hic si neges hac in parte esse dilucidam scripturam, in qua tot summi uiri caligarint, circulus ad caput redierit. Iam ut demus eum qui spiritum habet, certũ esse de sensu scripturæ, quo modo mihi constabit, quod ille sibi sumit? Quid faciam, ubi multi diuersos sensus adferunt, quorum unusquisq; se iurat habere spiritum? Adhæc quum spiritus non iisdem suggerat omnia, labi fallíque potest alicubi etiam is, qui habet spiritum. Hæc aduersus illos, qui tam facile reiiciunt ueterum interpretationem in sacris libris, ac suam nobis sic opponunt, uelut ex oraculo proditam. Postremo ut demus Christi spiritum passurum fuisse, populum suum errare in leuioribus, unde non magnopere pendet hominum salus: qui credi potest illum annis plus mille

trecentis dissimulasse errorem ecclesiæ suæ, nec ex tot sanctissimis uiris dignum habuisse quenquam, cui hoc inspiraret, quod isti contendunt esse totius Euangelicæ doctrinæ caput? Verum hic ut alias quando finiam, quid alij sibi arrogent, ipsi uiderint: ego mihi nec doctrinam arrogo, nec sanctimoniam, nec fido spiritui meo: simplici tamen sedulitate proferam in medium, quæ mouent animum meum. Si quis docere conabitur, sciens non reluctabor ueritati. Sin ciuiliter & absque conuicijs conferenti uerius quàm disputanti, malint maledicere, quis non desiderabit in eis spiritum Euangelicum, quem semper habent in ore? Paulus clamat: Infirmum in fide suscipite. Et Christus Linum fumigans non extinguit. Et Petrus Apostolus: Sitis inquit, semper parati ad satisfaciendum omnibus postulantibus à uobis rationem, de ea quæ in uobis est spe cum mansuetudine & reuerentia. Quod si respondebunt, Erasmum uelut utrem uetulum non esse capacem musti spiritus, quod ipsi propinant orbi: si sibi tantopere fidunt, saltem eo loco nos habeant, quo Christus habuit Nicodemum, apostoli Gamalielem. illum licet crassum, sed discendi auidum nõ repulit dominus: hunc suspendentem sententiam donec exitus rei doceret, quo spiritu gereretur, discipuli non sunt aspernati.

Rom. 14.
Esaiæ. 42.
Matth. 12.
1. Petri. 3.

Absolui dimidium huius libri, in quo si persuadeo quod proposui, satius esse de rebus huiusmodi non cõtendere superstitiosius, præsertim apud uulgum, nihil

opus

opus est argumentatione, ad quam nunc accingor, optans ut superet ubiq; ueritas, quæ fortaßis ex collatione scripturarum, uelut ignis de collisione silicum emicabit. Principio negari non potest in sacris literis plurima esse loca quæ plane statuere uidentur liberum hominis arbitrium. Rursum in ijsdem esse nonnulla, quæ uidentur in totum tollere. Constat autem scripturam secum pugnare non posse, quum ab eodem spiritu tota proficiscatur. Prius igitur recẽsebimus ea, quæ nostra confirmant, mox ea quæ ex aduerso stare uidentur, diluere conabimur. Porrò liberum arbitrium hoc loco sentimus, uim humanæ uoluntatis qua se possit homo applicare ad ea quæ perducunt ad æternam salutem, aut ab ijsdem auertere. Ab his qui statuunt liberumarbitrium illud in primis proferri solet, quod legitur in libro, cui titulus Ecclesiasticus, siue sapientia Sirach, cap. 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata & præcepta sua: Si uolueris mandata conseruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam seruare. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod uoluerís porrige manum tuam. Ante hominẽ uita & mors bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi. Non puto quenquam excepturum hic aduersus autoritatẽ huius operis, quod, ut indicat Hieronymus, olim apud Hebræos non habitum sit in canone, quum ecclesia Christi magno consensu receperit in suum canonem:

neque cauſſam uideo, quur Hebræi librum hunc à ſuo canone iudicarint excludendum, quum parabolas Solomonis, & Canticum amatorium receperint. Etenim quod duos poſteriores libros Eſdræ, hiſtoriam apud Danielem de Zuſanna, ac Belo dracone, Iudith, Heſter, aliáq; nonnulla non receperunt in canonem, ſed inter hagiographa numerarint, quid illos mouerit, facile diuinat, qui libros eos attentius legerit. Cæterum in hoc opere tale nihil obſtrepit lectori. Hic itaq; locus declarat Adam noſtri generis principem ſic fuiſſe conditum, ut rationem haberet incorruptam, quæ dignoſceret quid expetendum, quid fugiendum: ſed addita eſt uoluntas, incorrupta quidem & illa, ſed libera tamen, ut, ſi uellet, poſſet ſeſe à bono auertere & ad malum deflectere. Eodem in ſtatu conditi ſunt angeli, priusquam Lucifer cum ſuis ſodalibus deficeret à conditore ſuo. In his qui collapſi ſunt, ſic penitus corrupta eſt uoluntas, ut ſeſe non poßint ad meliora recipere: in his qui perſtiterunt, ſic eſt confirmata bona uoluntas, ut iam ne poßit quidem ſeſe ad impietatem deflectere. In homine ſic erat recta liberaq; uoluntas, ut abſq; noua gratia potuerit in innocentia perſeuerare, ſic tamen, ut abſque præſidio nouæ gratiæ nõ potuerit aſſequi felicitatem immortalis uitæ, quam ſuis pollicitus eſt dominus Ieſus. Hæc tametſi nõ poſſunt omnia apertis ſcripturarum teſtimonijs conuinci, tamen à patribus orthodoxis non improbabiliter diſſerta

differta sunt. Cæterum in Eua, non solum uoluntas corrupta uidetur, uerũ etiam ratio, siue intellectus, unde scatent fontes omnium bonorum ac malorum. Videtur enim illi persuasisse serpens uanas fuisse minas, quibus interdixerat dominus, ne quid contingerent de ligno uitæ. In Adam magis uidetur corrupta uoluntas ob immodicum quendam amorem erga sponsam suã, cuius animo maluit indulgere, quàm præcepto dei: quanquam & in hoc arbitror corruptam fuisse rationem, ex qua nascitur uoluntas. Ea uis animi qua iudicamus, quam non refert, siue νοῦν. i. mentem aut intellectum, siue λόγον. i. rationem dicere malis, per peccatum obscurata est, non extincta, uoluntas qua eligimus aut refugimus, hactenus deprauata fuit, ut suis naturalibus præsidijs non posset sese reuocare ad meliorem frugẽ, sed amissa libertate cogebatur seruire peccato, cui se uolens semel addixerat. Sed per dei gratiam, condonato peccato, hactenus facta est libera, ut iuxta sententiam Pelagianorum, absq; præsidio nouæ gratiæ posset adipisci uitam æternam: sic tamen, ut salutem suam deo ferret acceptam, qui & condidit, & restituit liberum arbitrium, secundum orthodoxos, sic posset opẽ diuinæ gratiæ semper adiuuantis conatum hominis, perseuerare in recto statu, ut tamen non careret procliuitate ad malum, ex semel inoluti peccati uestigijs. Quemadmodum autem progenitorum peccatum in posteros deriuatum est, ita & ad peccan-

dum procliuitas transijt in omnes, quam gratia peccatum abolens, hactenus mitigat, ut uinci posßit, non extirpari. Non quod hoc non posßit gratia, sed quia nobis non expedicbat. Quemadmodum autem in his qui gratia carent (de peculiari loquor) ratio fuit obscurata non extincta, ita probabile est in ijsdem uoluntatis uim non prorsus extinctam fuisse, sed ad honesta inefficacem esse factam. Quod oculus est corpori, hoc ratio est animo. Ea partim illustratur luce natiua, quæ insita est omnibus, licet non pari mensura, de quo me
Psal. 4. minit psalmus: Signatum est super nos lumen uultus tui domine: partim præceptis diuinis ac literis sacris, quemadmodum dicit psaltes noster: Lucerna pedibus
Psal. 118. meis uerbum tuum. Vnde nascitur nobis triplex legis genus: lex naturæ, lex operũ, lex fidei, ut Paulinis utar uerbis. Lex naturæ penitus insculpta mentibus oĩum, tam apud Scythas quàm apud Græcos, dictat iniquum esse, siquis alteri faciat, quod sibi nolit fieri. Et philosophi sine luce fidei, sine adminiculo diuinæ scripturæ, ex rebus conditis cognouerunt sempiternam dei uirtutem ac diuinitatem, ac de bene uiuendo multa præcepta reliquerunt, uehementer congruentia cum præceptis Euangelicis, multisq; uerbis ad uirtutem adhortantur, detestãtes turpitudinem. Et in his probabile est fuisse uoluntatem aliquo modo propensam ad honesta, sed inefficacem ad salutem æternam, nisi per fidẽ accederet gratia. Lex autem operum, imperat & cõ-

minatur

minatur pœnam. Ea peccatum congeminat, & gignit mortem, nõ quod mala ſit, ſed quod ea præcipiat, quæ ſine gratia præſtare non poſſumus. Lex fidei, quũ magis ardua præcipiat quàm lex operum, tamẽ addita copioſa gratia, quæ per ſe ſunt impoßibilia, reddit etiã dulcia, non modo facilia. Fides igitur medetur rationi læſæ per peccatum, charitas prouehit uoluntatem inualidam. Lex quodammodo operum erat: Ex omni ligno paradiſi comede, de ligno autẽ ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quacunq; enim die comederis ex eo, morte moreris. Rurſum p Moſen lex operum lata eſt: Ne quem occidas, ſi occideris occideris: ne cõmiſeris adulterium, ſi cõmiſeris, lapidaberis. Sed qd dicit lex fidei, quæ iubet diligere inimicos, quæ iubet tollere crucem quotidie, quæ iubet cõtemnere uitam? Nolite timere puſillus grex, ueſtrum eſt enim regnum cœlorũ. Et confidite, quia ego uici mundum. Et: Ego uobiſcum ſum uſq; ad conſummationem ſeculi. Hanc legem expreſſerunt Apoſtoli, quũ cæſi uirgis pro nomine Ieſu, gaudentes abirent à conſpectu concilij. Hinc Paulus: Omnia poſſum in eo, qui me corroborat. Nimirũ hoc eſt, quod dicit Eccleſiaſticus: Et addiecit mandata & præcepta ſua. Quibus? Primum duobus illis generis humani principibus per ſeipſum: poſt iudaicæ genti per Moſen & ꝓphetas. Lex oſtendit qd uelit deus, ꝓponit pœnã ni pareas, ꝓponit præmiũ ſi pareas. Cæterũ eligendi poteſtatẽ illorũ relinqt uolũtati, quã illis cõdidit

Gen. 3.
Exod. 20.
Deut. 5.
Luc. 12.
Ioan. 16.
Matth. 28
Phil. 4.

Eccl. 15. liberam & utroq; uolubilem. Et ideo si uolueris mandata conseruare, conseruabũt te. Et rursum: Ad quod uolueris porrige manum tuam. Si latuisset hominẽ boni maliq; discrimen ac uoluntas dei, non poterat imputari, si perperam elegisset. Si uoluntas non fuisset libera, non potuisset imputari peccatum, quod peccatum esse desinit, si non fuerit uoluntarium, nisi quum error aut uoluntatis obligatio ex peccato nata est. Ita puim stupratæ, non imputatur quod est passa. Quanquam autem hic locus quem adduximus ex Ecclesiastico, peculiariter quadrare uidetur in primos illos progenitores, tamen aliqua ratione ad uniuersam posteritatem Adæ pertinet: non pertineret autem, si nulla esset in nobis liberi arbitrij uis. Quanquam enim arbitrij libertas per peccatum uulnus accepit, non tamen extincta est: & quanquam contraxit claudicationem, ut ante gratiam propensiores simus ad malum quàm ad bonum, tamen excisa non est, nisi quod enormitas criminum & assuetudo peccandi, uelut in naturam uersa, sic offuscat nonnunquam mentis iudicium, sic obruit arbitrij libertatem, ut illud extinctũ, hæc penitus adempta uideatur. Porrò quantum ualeat in nobis liberum arbitrium post peccatum & ante gratiam, mire uariant, & ueterum & recentiorum sentẽtiæ, dum alius aliud spectat. Qui uitabant desperationem ac securitatem, sed ad spem & conatum acuere uolebant homines, plus tribuebant libero arbitrio. Pelagius docuit

cuit ſemel liberata ſauataq; per gratiam hominis uo-
luntate, non opus eſſe noua gratia, ſed liberi arbitrij
præſidijs pertingi poſſe ad ſalutem æternam, ſic tamen
ut hominis ſalus debeatur deo, ſine cuius gratia uolun
tas hominis non erat efficaciter libera ad bonum: &
hæc ipſa uis animi, qua homo cognitum bonum ample
ctitur, auertens ſe ab eo quod diuerſum eſt, beneficiũ
eſt conditoris, qui potuiſſet pro homine ranam produ
cere. Qui Scoti placitis addicti ſunt, proniores ſunt in
fauorem liberi arbitrij, cuius tantam uim eſſe credunt
ut homo nondum accepta gratia, quæ peccatum abo-
let, naturæ uiribus exercere poſſet opera moraliter,
ut uocant, bona, quibus non de condigno, ſed de con-
gruo promereantur gratiam gratum facientem, ſic
enim illi loquũtur. Ab his alij ex diametro, quod aiunt,
diſſentientes contendunt omnia illa opera quantũuis
moraliter bona, fuiſſe deo deteſtabilia, non minus q̃
ſcelerate facta, quod genus ſunt adulterium & homi-
cidium, quod non proficiſcerentur ex fide & charita-
te in deum. Horum opinio uidetur inclemẽtior, præ
ſertim quum philoſophi quidam ut habuerunt aliquã
de deo cognitionem, ita fieri potuit ut fiduciam quoq;
nonnullam & charitatem habuerint erga deum, nec
omnia fecerint ob inanem gloriam, ſed amore uirtu-
tis & honeſti, quod docent amplectendũ non ob aliud,
niſi quia honeſtum eſt. Nam qui pro ſalute patriæ ſe-
met obijcit periculis ob inanem gloriã, facit opus ex

genere bonum, an moraliter bonum, nescio. Sanctus Augustinus, & qui hunc sequuntur, considerãtes quanta sit pernicies ueræ pietatis hominem fidere suis uiribus, propèsiores sunt in fauorem gratiæ, quam ubiq; Paulus inculcat. Eoq; negat hominem obnoxium peccato, posse sese reflectere ad uitæ correctionem, aut quicquam posse facere, quod conferat ad salutem, nisi gratuito dei dono stimuletur diuinitus, ut uelit ea, quæ conducunt ad uitam æternam: hanc gratiam ij præuenientem uocant, Augustinus operantem. Nam & fides quæ ianua est salutis, gratuitum dei donum est. Huic additam charitatem per uberius donum spiritus, appellat gratiam cooperantem, quod semper adsit conantibus, donec assequantur quod expetũt, sed ita tamen, ut quum simul idem opus operentur liberum arbitrium & gratia, gratia tamen dux sit operis, non comes. Quanquam hanc quoq; sententiam diuidunt quidam dicentes: si cõsideres opus iuxta naturam suam, potiorem causſam esse uoluntatem hominis: sin iuxta quod promeretur, gratiam esse potiorem. Porrò fides quæ præstat ut uelimus salutifera, et charitas quæ præstat ne frustra uelimus, non tam tempore distincta sunt quàm natura: possunt tamen utraq; temporarijs accessibus augeri. Itaque quum gratia significet beneficium gratis datum, tres aut, si mauis, quatuor gratias ponere licebit. Vnam naturæ instam, & per peccatum uiciatam, ut diximus, non extinctam,

quam

quam quidam uocant influxum naturalem. Hæc oĩum communis, manet etiam perseuerantibus in peccato, liberũ est enim illis loqui, tacere, sedere, surgere, subleuare pauperem, legere libros sacros, audire concionem, sic tamen ut ista secundum opinionẽ quorundam nihil conducant ad uitam æternam. Nec desunt tamen qui considerata immensa dei bonitate, dicãt hactenus hominem proficere huiusmodi benefactis, ut præparetur ad gratiam, ac dei misericordiam erga se prouocet. Quanquam sunt qui negent hæc etiam fieri posse sine gratia peculiari. Hæc gratia quoniam est omniũ cõmunis, non dicitur gratia, quum re uera sit, quemadmodum maiora miracula quotidie deus ædit, gignẽdis rebus, conseruandis & gubernandis, quàm si sanaret leprosum, aut liberaret dæmoniacum. Et tamen hæc ideo non uocantur miracula, quod ex æquo quotidie præstantur omnibus. Altera est gratia peculiaris, qua deus ex sua misericordia peccatorem nihil promeritũ stimulat ad resipiscentiam, sic tamen ut nondum infundat gratiam illam supremam, quæ abolet peccatum, ac deo gratum facit hominem. Itaq; peccator adiutus secunda gratia, quam diximus operãtem displicet sibi, tametsi nondum exuit affectum peccandi, tamen eleëmosynis, precibus, intentus sacris studijs, audiendis cõcionibus, interpellandis pijs hominibus, ut pro se deũ orent, alijsq; factis moraliter, ut uocant, bonis, summæ illius gratiæ, uelut candidatum quendam agit. Existimant

mant autem gratiam, quam nunc ſecundam facimus, per dei bonitatem nulli mortalium deeſſe, quod diuina benignitas ſingulis in hac uita ſuppeditet idoneas occaſiones, per quas poſſit reſipiſcere, ſi, quod reliquũ eſt in ipſorum arbitrio, pro uiribus accommodent ad opem numinis, uelut inuitantis non cõpellentis ad meliora. Hoc autem putant eſſe in noſtro arbitrio, ut uoluntatem noſtram applicemus ad gratiam, aut auertamus ab ea, quemadmodum in nobis eſt ad illatum lumen aperire oculos ac rurſum claudere. Quoniam autem immenſa dei charitas erga genus humanum non patitur hominem fruſtrari, etiam illa gratia, quã gratum facientem uocant, ſi totis uiribus eam ambierit: fit ut nemo peccator debeat eſſe ſecurus, nemo rurſus debeat deſperare: fit itẽ illud, ut nemo pereat, niſi ſuo uitio. Eſt igitur gratia naturalis, eſt gratia extimulans, licet imperfecta: eſt gratia, quæ uoluntatem reddit efficacem, quam cooperantem diximus, quæ quod cœptũ eſt prouehit: eſt gratia, quæ producit uſq; ad finem. Has tres putant eandem eſſe gratiam, licet ab ijs quæ operantur in nobis, diuerſis cognominibus appellentur. Prima extimulat, ſecunda prouehit, tertia conſummat. Ergo qui longiſſime fugiunt à Pelagio, plurimum tribuunt gratiæ, libero arbitrio penè nihil, nec tamen in totum tollunt: negant hoïem poſſe uelle bonum ſine gratia peculiari, negant poſſe incipere, negant poſſe progredi, negant poſſe perficere ſine principali perpetuoq;

petuoq; gratiæ diuinæ præsidio. Horum sententia satis uidetur probabilis, quod relinquat homini studium & conatum, & tamen non relinquit, quod suis asscribat uiribus. Sed durior est istorum opinio, qui contendũt liberum arbitrium ad nihil ualere nisi ad peccandum, solam gratiam in nobis operari bonum opus, non per liberum arbitrium, aut cum libero arbitrio, sed in libero arbitrio, ut nostra uoluntas hic nihilo plus agat, quàm agit cera, dum manu plastæ fingitur in quancunque uisum est artifici speciem. Hi mihi sic fugere uidentur meritorum & operum humanorum fiduciam, ut præter casam, quod dici solet. Durissima uidetur omnium sententia, qui dicunt liberum arbitrium inane nomen esse, nec quicquam ualere ac ualuisse, uel in angelis, uel in Adam, uel in nobis, nec ante gratiam, nec post gratiam, sed deum tam mala quàm bona operari in nobis, omniaq; quæ fiunt esse meræ necessitatis. Itaq; cum his duabus postremis mihi potissimum erit conflictatio. Hæc paulo loquaeius nobis repetita sunt, quo lector imperitior, nam crassulis scribimus crassuli, reliquam argumentationem facilius percipiat, eoq; locum ex Ecclesiastico primum retulimus, quo originem ac uim liberi arbitrij planissime uideatur depingere. Nunc expeditiore cursu reliqua scripturarum testimonia persequemur. Id faciemus si prius admonuerimus hunc locum secus haberi in æditione Aldina quàm hodie habeat ecclesiasticus usus Latinorum.

Non

Non enim in Græcis additur, conſeruabunt te: quã-quam eandem particulam, nec Auguſtinus addit, ali-quoties adducens hunc locum, & ποιῆται ſcriptũ opi-nor pro ποιῆσαι. Quemadmodum igitur in paradiſo propoſuerat electionem uitæ ac mortis, ſi parueritis præcepto meo uiuetis, ſin minus, moriemini, Caue-te malum, eligite quod bonum eſt. Itidem Gene. cap. 4. deus loquitur Caim: Quare iratus es, & quur concidit facies tua? Nónne ſi bene egeris recipies. Sin au-tem male, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? Sed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illi-us. Proponit præmium, ſi uelit eligere quod pium eſt: proponit pœnam, ſi malit ſequi diuerſum. Et oſtendit animi motus ad turpia uinci poſſe, nec adferre neceſ-ſitatem peccandi. Cum his locis congruit, quod do-minus loquitur ad Moſem: Poſui ante faciem tuam ui-am uitæ & uiam mortis. Elige quod bonum eſt, & incede cum eo. Quid poterat apertius dici? Deus oſtẽ-dit quid bonum, quid malum, oſtendit utriuſque di-uerſa præmia, mortem & uitam: eligendi libertatẽ re-linquit homini. Ridicule ſiquidem diceretur elige, cui non adeſſet poteſtas ſemet huc & illuc applicandi, perinde quaſi quis in biuio conſiſtendi dicat, uides duplicem uiam, utram uoles ingreditor, quum altera tantum pateret. Rurſum Deuteronomij cap. 3. Conſi-dera quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo uitam & bonum, & è contrario mortem & malũ, ut diligas

domi-

dominum deum tuum, & ambules in uijs eius, & custodias mandata illius, & ceremonias atq; iudicia, & uuas, atq; multiplicet te, benedicatq; tibi in terra, ad quam ingrederis possidendam. Si autem auersum fuerit cor tuũ, & audire nolueris, atq; errore deceptus, adoraueris deos alienos, & seruieris eis, prædico tibi hodie q, pereas, & paruo tempore moreris in terra, ad quã Iordane transmisso ingredieris possidẽdã. Testes inuoco hodie cœlũ & terram, quod proposuerim uobis uitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo uitam, ut & tu uiuas & semen tuũ. Hic rursus audis proponendi uerbum, audis eligendi uerbum, audis auertendi uerbum, quæ intempestiue dicerentur, si uoluntas hominis non esset libera ad bonũ sed tantum ad malum. Alioqui perinde fuerit, ac si quis homini sic alligato ut non possit brachium nisi in læuum porrigere, diceret: ecce habes ad dexteram uinũ optimum, habes ad læuam toxicum, utro uelis porrige manum. Nec dissonat ab his, quod apud Esaiam loquitur idem dominus: Si uolueritis & audieritis me, quæ bona sunt terræ comedetis: si uero nolueritis, neq; audieritis me, gladius uos consumet. Si non est homini ullo pacto libera uoluntas ad bonum, aut si, ut quidam aiunt, nec ad bonum nec ad malum, quid sibi uolunt hæc uerba, si uolueritis, si noluerttis? magis hic congruebat, si uoluero, si noluero. Atq; huiusmodi multa quum peccatoribus dicantur, non uideo, quomodo

Deut. 30.

Esaiæ. 1.

uitari

uitari poßit, quin his quoq; tribuamus uoluntatem alio quo modo liberam ad electionem boni: niſi malumus hanc cogitationem aut animi motum dicere quàm uoluntatem, quod uoluntas certa ſit, & ex iudicio naſcatur. Sic autem loquitur apud eundem prophetam, cap. 21. Si quæritis, quærite, conuertimini & uenite. Quorſum attinet hortari, ut cõuertantur & ueniant, qui nulla ex parte ſuæ poteſtatis ſunt? Nónne perinde fuerit, ac ſiquis dicat uinculis aſtricto, quem nolit ſoluere, moue te iſthinc, ueni ac ſequere me? Item apud eundem prophetam capi. 45. Congregamini & uenite. Et cõuertimini ad me, & ſalui eritis omnes fines terræ. Rurſum cap. 52. Conſurge conſurge, excutere de puluere, ſolue uincula colli tui. Itidem Hieremias cap. 15. Si conuerteris, conuertam te, & ſi ſeparaueris precioſum à uili, quaſi os meum eris. Quũ ait ſeparaueris, libertatem indicat eligendi. Euidentius etiam Zacharias et arbitrij liberi conatum indicat, & gratiam conanti paratam: Conuertimini, inquit, ad me ait dominus exercituum, & conuertar ad uos, dicit dominus. Ezechiëlis cap. 18. ſic loquitur deus: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis quæ operatus eſt, & fecerit iudicium, &c. Ac mox: Omnium iniquitatum eius quas operatus eſt, non recordabor. Item: Si autem auerterit ſe iuſtus à iuſticia ſua & fecerit iniquitatem. In hoc capite toties repetitur, auerterit ſe, fecit, operatus eſt, in bonam partem

Zach. 1.

& in

& in malam. Et ubi sunt qui negant hominem quicq̃ agere, sed pati tantum ab operante gratia? Proijcite inquit, à uobis omnes iniquitates. Et: Quare moriemini domus Israël? Nolo mortem peccatoris, reuertimini & uenite. Deplorat pius dominus mortem populi sui, quam ipse operatur in illis? Si ille non uult mortem, utique nostræ uoluntati imputandum, si perimus. Cæterum quid imputes illi qui nihil potest agere neq; boni neq; mali? His qui nullo modo suæ uoluntatis cõpotes sunt, frustrà canit hanc cantionem psaltes ille mysticus: Declina à malo & fac bonum, inquire pacẽ & persequere eam. Sed quorsum attinet huius generis aliquot recẽsere loca, quum tota diuina scriptura plena sit huiusmodi hortamentis? Conuertimini in toto corde uestro. Conuertatur uir à uia sua mala. Præuaricatores redite ad cor. Et: Cõuertatur unusquisq; à uia sua mala, & pœnitebit me mali, quod cogitaui facere eis propter maliciam studiorum eorum. Et: Si non audieritis me ut ambuletis in lege mea. Quum ferè nihil aliud sonet scriptura quàm conuersionem, quàm studium, quàm conatũ ad meliora. Hæc omnia frigeant oportet semel inducta necessitate uel benefaciendi, uel male. Neq; minus frigebunt illæ tot pollicitationes, tot minæ, tot expostulationes, tot exprobrationes, tot obtestationes, tot benedictiões ac maledictiones factæ ad eos q̃ se uerterũt ad meliora, aut q̃ cõuerti recusarũt. Quacunq; hora ingemuerit peccator. Video qd' po-

Ezech. 8.
Ibid. 33.
Ibid. 18.
Psal. 36
Iohel. 2.
Ionæ. 3.
Esa. 4. 6
Exod. 32.

Mich 6. pulus iſte duræ ceruicis ſit. Populе meus q1 feci? Item:
Pſal. 20. Iudicia mea proiecerũt. Et: Si populus meus audiſſet
Pſal. 33. me, iſraël ſi in uij meis ambulaſſet, Qui uult uidere dies bonos, phibeat linguã ſuã à malo. Quũ audis qui uult, audis liberã uoluntatẽ. Hæc quum nuſquam nõ occurrant, nónne ſtatim ſuccurrit lectori, quid polliceris ex conditione, quod in tua unius uoluntate ſitum eſt? Quid expoſtulas, quum quicquid à me fit ſeu boni, ſeu mali, tu geras ĩ me uelim nolim? Quid exprobras, quũ in me non ſit tueri quod dederas, nec excludere malũ qđ immittis? Quid obteſtaris quũ totũ ex te pendeat, & res ex tua geratur ſentẽtia? Quid benedicis, quaſi functus ſim meo officio, quum tuũ ſit quicqđ geſtũ eſt? Quid maledicis, quum neceſſitate peccarim? Quorſum autem attinent tot examina præceptorum, ſi non eſt cuiquàm ullo pacto in manu ſeruare quod præceptum eſt? Sũt enim qui negãt hominẽ quantũuis iuſtificatum dono fidei & charitatis, ullum dei præceptum implere poſſe, ſed omnia bona opera, quoniã in carne fiunt, ad dãnationẽ profectura fuiſſe, ni deus ob meritum fidei ignoſceret illis per ſuam miſericordiã. Atqui ſermo quẽ per Moſen logitur dominus Deutero. cap. trigeſimo, declarat non ſolum in nobis ſitũ quod præcipitur, uerumetiam in procliui, quum ait: Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, nõ ſuprà te eſt, neq; procul poſitũ, nec in cœlo ſitũ, ut poſſis dicere: quis noſtrũ ualet ad cœlũ aſcẽdere, ut deferat illud ad nos,

ut alle-

ut audiamus atq; opere cõpleamus? neq; trans mare positũ, ut causseris & dicas, quis è nobis poterit mare transire, et illud ad nos usq; deferre, ut possimus audire quod præceptũ est? sed iuxtà est sermo ualde in ore tuo, & in corde tuo ut facias illum. Et tamen illic loquitur de præcepto omnium maximo, ut reuertaris ad dominũ deum tuũ, in toto corde tuo, & in tota anima tua. Et quid sibi uult hoc, si tamen audieris, si custodieris, si reuertaris, si nihil horum ullo pacto situm est in nostra potestate? Non admittar in huiusmodi recitandis esse copiosus, quum utriusq; testamẽti libri talibus undiq; referti sint, ut qui talia studet conquirere, nihil aliud quærat, quod dici solet, per mare quærat aquas. Itaq; bona sacræ scripturæ pars, ut dixi, uidebitur frigere, si ultimam aut penultimã opinionem receperis. Reperiuntur autẽ in diuinis libris quædã loca, quæ cõtingentiam ac mutabilitatẽ etiam quandã deo tribuere uidentur. Quod genus est illud quod legimus Hieremiæ cap. 18. Si pœnitentiã egerit gens illa à malo suo, qđ locutus sum aduersus eã, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui ut facerem ei, si fecerit malum in oculis meis, & non audierit uocem meam, & ego pœnitẽtiam agam super bono, quod locutus sum ut facerem ei. Neque uero nescimus hic scripturam sacram hominum more loqui, quod & aliâs non raro facit, quum in deũ nulla cadat mutabilitas. Sed ex irato propitius fieri dicitur, quum nos ad meliora resi-

piscentes dignatur sua gratia: rursus ex propitio iratus, quum ad deteriora relapsos punit & affligit. Rursum 4. Regũ capite uigesimo audit Ezechias: Morieris tu, & nõ uides. Ac mox post lachrymas audit per eũdem prophetam: Audiui orationem tuã & uidi lachrymas tuas, & cõseruaui te &c. Itidem secundo Regũ cap. duodecimo Dauid per Nathan audit à domino: Non recedet gladius de domo tua usq; in sempiternum &c. Mox ubi dixerat: Peccaui domino, audit mitiorem sententiam. Dominus quoq; transtulit peccatũ tuum, non morieris. In his atq; huiusmodi locis, quemadmodũ tropus sermonis excludit mutabilitatẽ à deo, ita uitari nõ potest, quin intelligamus in nobis esse uoluntatem huc & illuc flexilem: quæ si necessitate flectitur ad malum, quur imputatur peccatum? si necessitate flectitur ad bonum, quur deus ex irato fit propitius, quum nihilo plus illic debeatur nobis gratiæ? Atq; hactenus quidem ex uetere testamento, de quo fortasse caussetur aliqs, nisi hæc essent ex eorũ genere, quæ non solum obliterata non sunt per lucem Euangelicã, uerumetiam plus uigoris acceperunt. Veniamus igitur ad noui Testamenti libros. Ac primũ occurrit locus ex Euangelio, quo Christus deplorans excidiũ urbis Hierosolymorum, ita loquitur: Hierusalem Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui missi sunt ad te, quoties uolui congregare te, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluisti?

Matth. 23

noluisti? Si cuncta fiunt necessitate, nónne merito Hie-
rosolyma poterat respõdere deplorãti domino: Quid
inanibus lachrymis te maceras? Si tu nolebas nos au-
scultare prophetis, quur eos misisti? Quur nobis impu
tas quod tua uoluntate, nostra necessitate factum est?
Tu uolebas nos congregare, & idẽ in nobis nolebas,
quum hocipsum operatus sis in nobis, quod nolueri-
mus. Atqui in uerbis domini non accusatur in Iudæis
necessitas, sed praua ac rebellis uoluntas. Ego uolui cõ
gregare, tu noluisti. Rursus alibi: Si uis ad uitam ingre Matth. 19.
di, serua mandata. Qua fronte diceretur, si uis, cui uo- Ibidem
luntas libera non est? Item: Si uis perfectus esse, uade
& uende &c. Item Lucæ. 5. Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & se
quatur me. In præcepto tam difficili tamen audis men
tionem uoluntatis nostræ. Ac mox: Qui enim uoluerit
animam saluam facere, perdet eam. Nónne frigent o-
mnia præclara præcepta Christi, si nihil tribuitur hu-
manæ uoluntati? Ego autem dico uobis. Ego autem di Matth. 5.
co uobis &c. Et: Si diligitis me, mãdata mea seruate. Ioan. 14.
Quanta apud Iohãnem inculcatio mãdatorũ? Quàm
male cõiunctio, si, congruit meræ necessitati? Si man- Ioan. 15.
seritis in me, & uerba mea in uobis mãserit. Si uis pfe
ctus esse. Iam ubi toties est operum bonorum & malo
rum mentio, ubi mentio mercedis, ibi non intelligo quo
pacto locus sit meræ necessitati. Neque natura, neque
necessitas habet meritum. Sic autem dominus noster

Iesus loquitur Matthæi quinto, Gaudete & exultate, quia merces uestra copiosa est in cœlis, Quid sibi uult parabola de operarijs conductis in uineam? An operarij sunt qui nihil operantur? Datur denarius ex pacto uelut operæ præmium. Dicet aliquis, merces dicitur quod à deo quodammodo debetur, qui suam fidem obstrinxit homini si crediderit promissis ipsius. At quis hoc ipsum credere, opus est, in quo nonnulla functio est liberi arbitrij, quum sese applicat ad credendum, aut auertit. Quur collaudatur seruus qui domini sortem sua auxerat industria, quur damnatur ignauus & cessator, si nihil ibi nostrum est? Rursum cap. uigesimo quinto, cum inuitat omnes ad consortium æterni regni, non commemorat necessitatem, sed ipsorum benefacta, dedistis cibum, dedistis potum, collegistis hospitem, uestistis nudum &c. Rursus, hœdis qui à sinistris sunt, exprobrat non necessitatem, sed uoluntariam operum omissionem. Vidistis esurientem, data est benefaciendi occasio, non dedistis cibum &c. Iam nónne omnes Euãgelicæ quoq; literæ plenæ sunt exhortationibus: Venite ad me qui onerati estis, uigilate, orate, petite, quærite, pulsate, utdete, cauete? Quid sibi uolunt tot parabolæ, de custodiendo uerbo dei, de occurrendo sponso, de nocturno suffossore, de domo fundanda super petram? Nimirum ad studiũ, ad conatum, ad industriam nos excitant, ne pereamus negligentes dei gratiam. Hæc aut frigida uidentur,

aut

aut superuacanea, si cuncta referantur ad necessitatem. Idem dicendum est de minis Euangelicis: Væ uobis scribæ, uæ uobis hypocritæ, uæ tibi Corozaim. Frigebunt & exprobrationes illæ: O generatio incredula & peruersa, quam diu ero uobiscum, quàm diu uos patiar, serpentes, progenies uiperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Ex fructibus, inquit dominus, eorum cognoscetis eos. Fructus opera dicit, ea nostra uocat: at ea nostra nõ sunt, si cuncta geruntur necessitate. Orat in cruce: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Quanto iustius excusasset eos, qa non est illis libera uoluntas, nec possunt si uelint aliter facere. Rursus Ioannes: Dedit eis potestatem filios dei fieri, his qui credunt in nomine ipsius. Quomodo datur potestas ut filij dei fiant, qui nõdum sunt, si nostræ uoluntatis nulla est libertas? Quum quidã offensi uerbis domini discessissent ab eo, dixit proximis discipulis: Nunquid & uos uultis abire? Si illi non discesserãt sua sponte sed necessitate, quur cæteros interrogat, num & ipsi uelint? Sed non erimus molesti lectori recensendis huiusmodi locis omnibus, quorum ut non est numerus, ita sua sponte facile cuiq; occurrunt. Dispiciamus an & apud Paulum strenuum assertorem gratiæ, & perpetuum expugnatorem operum legis, reperire liceat, quod statuat liberũ arbitriũ. Atq; in primis occurrit locus in epistola ad Romanos cap. scd'o. An

Mar. 9.

Matth. 7.

Luc. 23.

Ioan. 1.

Ioan 5.

diuitias, inquit, bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis? An ignoras quod benignitas dei ad pœnitentiam te adducit? Quomodo imputatur contemptus præcepti, ubi nõ ẽſt libera uoluntas? aut quomodo deus inuitat ad pœnitentiã, qui autor eſt impœnitentiæ? aut quomodo iuſta eſt dãnatio, ubi iudex cogit ad maleficium? Et tamen Paulus paulo ante dixerat. Scimus enim quoniã iudicium dei eſt ſecundũ ueritatem in eos qui talia agunt. Audis actionem, audis iudicium ſecundum ueritatem, Vbi mera neceſsitas? Vbi uoluntas nihil aliud quàm patiens? Vide uerò cui malum illorum imputet Paulus. Secundum autem duriciem tuam, & impœnitẽs cor theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicij dei, qui reddet unicuiq; ſecundũ opera eius. Et hic audis iuſtũ dei iudicium, audis opera digna ſupplicio. Quod ſi deus ſua tantum bona opera, quæ per nos operatur, imputaret nobis ad gloriam & honorẽ & immortalitatẽ, plauſibilis eſſet benignitas (quanq; & hic admiſcet Apoſtolus ſecundũ patientiã boni operis, & rurſum, quærentibus uitam æternam) Cæterum qua iuſtitia infligitur ira, indignatio, tribulatio, anguſtia homini uelut operanti malũ, qui nihil operatur ſponte, ſed omnia facit neceſsitate? Iam qui conſiſtunt illæ Pauli collationes, de currentibus in ſtadio, de brabeo, de corona, ſi nihil eſt tribuendum noſtro conatui? Ad Corinth. cap. nono. An neſcitis quod hi qui in ſtadio currũt, omnes

quidem

quidem currunt, sed unus accipit brabeum, sic currite, ut comprehendatis &c. Ac mox. Et illi quidē ut corruptibilem coronā accipiant, nos autem incorruptā. Corona non datur nisi certātibus, & præmij loco datur, tanquàm hunc honorem promeritis. Rursum ad Timotheum prima cap. sexto. Certa, inquit, bonū certamen fidei, apprehende uitam æternā. Vbi certamen est, ibi conatus est uoluntarius, ibi periculum est, ne si cesses, perdas præmiū. Non itidem fit ubi mera necessitate eueniunt omnia. Rursum ad eūdem epistolæ secundæ cap. secundo. Nam & qui certat in agone, non coronatur, nisi qui legitime certauerit. Ac paulo superius: Labora sicut bonus miles Christi. Meminit & agricolæ laborātis: Certanti datur corona, militanti salarium, agricola fructum percipit. Item eiusdem epistolæ cap. quarto. Bonū, inquit, certamen certaui: cursum consummaui. In reliquum reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. Mihi difficile uidetur certamen coronā, iustum iudicem, reddēdi, certādi, uerbū cōiungere cū omniū rerum mera necessitate, cum uoluntate nihil agente, sed tantū patiente. Iacobus item hominū peccata nō uribuit necessitati ac deo in nobis operāti, sed ipsorū depraua tæ concupiscentiæ. Deus, inquit, neminē tentat, sed unusquisq; tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus: deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum. Malefacta hominū Paulus uocat

Iacobi. 1.

cat opera carnis non opera dei, uidelicet hoc appellãs
Act. 5. carnem, qd Iacobus appellat cõcupiscẽtiã. Et in Actis audit Ananias: Quur tentauit Satanas cor tuum? Paulus item ad Ephes. cap. secũdo, mala opa tribuit ſpiri-
Matth. 12. tui huius aëris, q operatur in filijs diffidẽtiæ. Quæ cõmunicatio Chriſto cũ Belial? Aut facite, inquit, arborẽ bonam & fructus eius bonos, aut facite arborem malam, & fructus eius ſimiliter malos. Qua igitur frõte quidam deo, quo nihil poteſt eſſe melius, tribuunt fructus peßimos? Quanq̃ aũt humana concupiſcẽtia ſollicitatur à Satana, aut rebus extrarijs, aut alioqui per occaſionẽ rei quæ eſt in homine, tamẽ ſollicitatio non adfert peccãdi neceßitatẽ, ſi uelimus obniti implorato diuino præſidio: quẽadmodum ſpiritus Chriſti prouocans nos ad bene agendũ, nõ adfert neceßitatẽ, ſed opem. Cõſentit cũ Iacobo eccleſiaſticus cap. 15. Nemini mãdauit deus impie agere, & nemini dedit ſpatium peccãdi. At qui cogit, plus facit q̃ ſi mãdet. Sed euidentius eſt, quod ſcribit Paulus. 2. ad Timoth. ſecundo. Si quis ergò ſe emundauerit ab iſtis, erit uas in honorem. Quomodo emũdat ſe, qui nihil agit omnino? Scio hic ſubeſſe tropũ, ſed ĩ præſentia mihi ſatis eſt, qd hic ſermo multũ diſſonat ab his qui uolũt oĩa tribuere meræ neceſsitati. Concinit huic illud. 1. Ioan. 5. Omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt. Admittã hic tropũ, ſi uiciſsim illi nobis in alijs locis permittent tropi præſidiũ. Et tamẽ nimis impudẽs

fuerit

fuerit tropus, si quis interpretetur, sanctificat se. i. uelit nolit sanctificatur à deo. Abijciamus, inqt Paulus, opa tenebrarũ. Et: Expoliãtes ueterẽ hoiem cũ actibus suis Quomõ iubemur abijcere, & exuere, si nihil agim⁹? Item ad Ro. 7. Nã uelle adiacet mihi, pficere aũt bonũ nõ inuenio. Hic Paulus uidetur fateri esse in hoĩs potestate uelle qđ bonũ est, atq hoc ipsũ uelle benefacere, bonũ est opus: alioq nec uelle malũ erit in malis. Cæterũ extrà controuersiã est uoluisse occidere, malũ esse. Rursum. 1. ad Cor. 14. Spiritus, inqt ꝓphetarũ prophetis subiectus est. si quos agit spiritus sanctus, sic agit, ut sit illis liberũ, si uelint, obtice scere, multo magis hoĩs uolũtas ex sese sui iuris est. Nam hi quos agit spiritus phanaticus, nec tacere possunt si uelint, et sæpe nõ intelligũt ipsi qd loquãtur. Eodẽ pertinet illud qđ admonet Timoth. Noli negligere gratiã quæ in te est. Declarat enim ĩ nobis esse, auertere animũ à gratia data. Itẽ alibi: Et gratia eius in me uacua nõ fuit. Significat se nõ defuisse gratiæ diuinæ. Quomõ nõ defuit, qui nihil egit? Petrus epist. 2. cap. 1. Vos aũt, inqt, oẽm curã subinferẽtes minestrate in fide uestra uirtutẽ &c. Ac mox Qua propter fratres magis satagite, ut per bona opa certã uocationẽ uestrã & electionẽ faciatis. Vult nostram sollicitudinẽ iungi gratiæ diuinæ, ut per gradus uirtutum perueniamus ad perfectionem. Sed iamdudum uereor ne cui uidear in his congerendis immodicus, quum nusq̃ non occurrant in diuinis uoluminibus.

Rom. 13. Coloss. 3. 1. Tim. 4 1. Cor. 14

Quum

Quum enim ſcribat Paulus ſecūda ad Timotheū cap. tertio. Omnis enim ſcriptura diuinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendū, ad erudiendū &c. Nihil horū uidetur habere locū, ubi mera & ineuitabili neceſſitate gerūtur omnia. Quor ſum pertinent tot encomia ſanctorū apud Eccleſiaſticum cap. quadrageſimo quarto, & ſequētibus aliquot, ſi nihil debetur induſtriæ noſtræ? Quid ſibi uult ubiq; laudata obediētia, ſi ad bona & ſimul mala operata ſumus inſtrumentum deo, quale ſecuris eſt fabro? At tale inſtrumentum ſumus omnes, ſi uerum eſt dogma Vuijcleui. Omnia & ante gratiam & poſt gratiā bona pariter ac mala quin et media, mera neceſsitate geri, quam ſententiā approbat Lutherus. Quod ne quis à me confictum cauſſetur, ipſius uerba ſubſcribam ex aſſertionibus. Vnde, inquit, & hunc articulū neceſſe eſt reuocare. Male enim dixi, quod liberum arbitrium ante gratiam ſit res de ſolo titulo, ſed ſimpliciter debui dicere, liberum arbitrium eſt figmentū in rebus ſeu titulus ſine re, quia nulli eſt in manu quippiam cogitare mali aut boni, ſed omnia ut Vuijcleui articulus Conſtantiæ condēnatus rectè docet, de neceſsitate abſolute euenūt. Hactenus Lutheri uerba recitauimus. Multa loca prudens prætereo, quæ ſunt in Actis et in Apocalypſi, ne moleſtus ſim lectori. Hæc tam multa, non ſine cauſſa mouerunt eruditos ac ſanctos uiros, ne in totum tollerent liberum arbitriū. Tātum abeſt ut ſpiritu,

Satanæ

Satanæ fuerint instigati, sibiq; damnationem accersierint, fidentes operibus suis. Nunc tẽpus est, ut ex aduerso recenseamus aliquot scripturarum testimonia, quæ uidentur prorsus tollere liberum arbitriũ. Ea sanè nonnulla sũt obuia nobis in sacris uoluminibus, sed in his duo præcipua sunt, ac cæteris euidentiora, quorum utrũq; sic tractat Paulus apostolus, ut prima specie nihil omnino tribuere uideatur uel operibus nostris uel liberi arbitrij uiribus. Alter locus est Exodi cap. 9. & tractatur à Paulo epistolæ ad Romanos cap. 9. Indurauitq; dominus cor Pharaonis, et nõ audiuit eos. Et rursus: Iccirco aũt posui te, ut ostendam in te fortitudinẽ meã, & narretur nomẽ meũ in omni terra. Paulus sic explicat adducens similem locum, qui est Exodi trigesimo secũdo. Mosi enim dixit: Miserebor cuicunq; misereor, & cõmiserabor quencũq; commiseror. Igitur non uolẽtis, neq; currẽtis sed miserentis est dei. Alter est apud Malachiam cap. primo, & tractatur apud Paulum capite nono. Nónne frater erat Iacob, dicit dominus: Et dilexi Iacob, Esau autem odio habui, Paulus sic explicat, Quum enim nondum nati essent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum dei maneret, nõ ex operibus, sed ex uocante dictum est ei, quia maior seruiet minori, sicut scriptũ est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Quoniam aũt absurdum uidetur, ut deus qui non solum iustus est, uerũ etiã bonus, induraße dicatur

catur cor hominis, ut per illius maliciam, ſuã illuſtra-
ret potentiã. Origenes libro περὶ ἀρχῶν tertio, ſic
explicat nodum, ut fateatur occaſionem indurationis
datã à deo, culpã tamen in Pharaonẽ reijciat, qui ſua
malicia factus ſit obſtinatior per hæc, p q̃ debebat ad
pœnitentiã adduci: quẽadmodũ ex eodẽ hymbre ter-
ra culta producit fructũ optimũ, inculta ſpinas ac tri-
bolos: & quẽadmodum ex eodem ſole cera liqueſcit,
lutus dureſcit: ita lenitas dei, quæ tolleret peccantẽ, alios adducit ad pœnitentiã, alios reddit obſtinatiores in malicia. Miſeretur ergo eorũ, qui dei bonitatẽ agnoſcẽtes reſipiſcunt. Indurantur aũt qui dilati ad pœnitẽtiã neglecta dei bonitate, profectiũt ad deteriora. Tropum aũt, quo dicitur feciſſe, q̃ dedit occaſionem, probat primũ ex cõſuetudine ſermonis popularis, quo uulgo pater dicit filio, ego te perdidi: quod errãtem non ſtatim punierit. Vſus eſt ſimili tropo Eſaias cap. 63. Quare errare nos feciſti domine de uijs tuis, induraſti cor noſtrũ, ne timeremus te? Hunc locũ iuxtã ſentẽtiã Origenis interpretatur Hieronymus. Indurat deus, quum nõ ſtatim caſtigat peccantẽ, et miſeretur, quum mox per afflictiones ad pœnitentiã inuitat. Sic apud
Oſee .4. Oſee loquitur iratus: Non uiſitabo ſuper filias ueſtras quũ fuerint fornicatæ. Rurſus miſericorditer caſtigat in pſal. 88. Viſitabo in uirga iniqtates eorũ, et in uerberibus peccata eorũ. Eodẽ tropo dixit Hiere. ca. 20. Seduxiſti me domine, et ſeductus ſũ, fortior me fuiſti, et

inualui-

inualuisti. Seducere dicitur qui non statim reuocat ab errore, quod ipsum existimat Origenes interim conducere ad pfectiorem sanitatem, quemadmodum periti chirurgi malunt tardius obducere cicatricem uulneri, quo magis educta per hiatum uulneris sanie succedat perpetua sanitas. Annotat et illud Origenes, qd' ait dominus: In hoc ipsum excitaui te, non ut hoc ipsum feceris. Alioqui Pharao non fuisset impius, si talem condidisset deus, qui contemplatus est oīa opera sua, & erāt ualde bona. Nunc utroq; uertibili uoluntate conditus, suapte sponte deflexit ad malum, dū suo animo maluit obsequi, q̄ dei iussis obtemperare. Hac aūt Pharaonis malicia deus abutitur in suam gloriā & ad salutē populi sui, quo magis perspicuū esset, hoies frustra conuiuere, q dei uoluntati resistunt: quēadmodum prudens rex aut paterfamilias sæuitia quorundā, quos odit, tamē ad puniēdos improbos abutitur. Nec tamē ideo uis fit nostræ uoluntati, si rerum euentus in manu dei est, aut si ille conatus hoīum pro suo arcano consilio, aliò uertit q̄ illi destinarant. Quemadmodū igitur malorū conatus uertit in bonum piorum, ita bonorū conatus nō assequūtur quod expetunt, nisi aduti gratuito dei fauore. Nimirū hoc est quod subijcit Paulus: Igitur non uolentis, neq; currentis, sed miserentis est dei. Præuenit dei misericordia uoluntatem nostram, comitatur eandem in conando, dat felicem euentum. Et tamen interim uolumus, currimus, assequimur, sic tamen ut hoc ipsum Rom. 9.

ipſum quod noſtrum eſt aſſcribamus deo, cuius ſumus toti. Satis autē explicant nodū de præſcientia, qđ non imponat neceßitatem uolūtati noſtræ, ſed mea ſententia uix alius felicius q̄ Laurentius Valla. Nec enī præſcientia cauſſa eſt eorum quæ eueniunt, quū & nobis contingat multa præſcire, quæ non ideo eueniunt qa præſcimus, ſed ideo præſcimus, qđ ſint euentura. Quē admodum non ideo ſit eclipſis ſolis, quod eam aſtrologi futuram prædixerint, ſed ideo futurā prædixerūt, quod eſſet futura. Cæterū de uoluntate ac deſtinatiōe dei difficilior eſt quæſtio. Vult. n. deus eadē q̄ præſcit. Nā aliquo modo uelit oportet, qui qđ præſcit futurū, tamen nō impedit, quū ipſi ſit in manu. Et hoc eſt qđ ſubijcit Paulus: Voluntati eius quis reſiſtit, ſi miſeretur cui uult, ſi indurat quem uult? Etenim ſi eſſet rex, qui quicquid uellet, efficeret: neq; quiſquā poſſet obſiſtere, facere diceretur quicquid uellet. Ita dei uoluntas, quoniam eſt principalis cauſſa omniū, quæ fiunt, uidetur noſtræ uoluntati neceßitatē inducere. Nec hanc quæſtionem explicat Paulus, ſed obiurgat diſputantem. O homo tu quis es qui reſpōdes deo? Verum obiurgat impie obmurmurantem, ueluti ſi herus dicat ſeruo reſponſatori, quid tua refert, quare ſic iubeā, tu fac qđ iubeo? aliud reſpōſurus ſi ſeruus prudēs ac beneuolus modeſte cupiat à domino diſcere, quare uelit hoc fieri, qđ in ſpeciē uideretur inutile. Voluit deus male perire Pharaonē, et iniſte uoluit, et bonū erat illū perire:

Nec

nec tamen ille coactus est dei uolũtate, ut pertinaciter esset impius. Veluti si dominus sciens prauum ingeniũ serui, committeret illi munus, in quo daretur occasio peccandi, quo deprehensus lueret pœnas in exemplũ aliorũ, præscit illum peccaturum & usurum ingenio suo, & uult eum perire, & uult eum aliquo pacto peccare, nec tamen excusatur seruus, qui suapte malicia peccauit. Iam enim antea commeritus est, ut omnibus prodita ipsius malicia det pœnas. Verum unde sumes initium meritorũ, ubi est perpetua necessitas, & ubi nunquam fuit libera uoluntas? Quod autem de rerum euentu diximus, quia deus frequenter aliò uertit quod agitur, quàm destinarant homines, ut in plerisq; uerũ est, ita non est perpetuo uerum: & frequẽtius accidit in malis quàm in bonis. Iudæi crucifigentes dominum, destinarant illum in totum abolere: hoc impium illorũ consilium deus uertit in gloriam filij sui, & in salutem totius mundi. Sed Cornelius ille Centurio, qui bonis operibus ambiebat fauorem numinis, assequutus est quod uolebat. Et Paulus consummato cursu, assequutus est coronam quam ambiebat. Hic non excutiam, an deus, qui est sine controuersia primaria, & summa caussa omnium quæ fiunt, quædam sic agat per caussas secundarias, ut ipse interea nihil agat: an sic agat oia, ut secundariæ caussæ tantum cooperẽtur caussæ principali, tametsi non sunt alioqui necessariæ. Certe dubitari nõ potest, quin deus, si uelit, possit omnium secun-

dariarũ cauſſarum naturalem effectum in diuerſum uertere. Videlicet efficere poteſt, ut refrigeret & humectet ignis, ut duret & exiccet aqua, ut obſcuret ſol, ut rigeant flumina, ut fluant rupes, ut ſeruet uenenum, ut interimat cibus. Quemadmodum ignis fornacis Babyloniceæ tres pueros refocillauit, & idem Chaldæos exuſſit. Id quoties facit deus, miraculum dicitur. Hac ratione poteſt adimere guſtum palato, iudicium oculis, ingenij, memoriæ, uoluntatiſq; uires obſtupefacere, & ad id quod ipſi uiſum fuerit, cogere. Quemadmodum facit in Balaam, qui uenerat ut malediceret, nec potuit: aliud loquebatur lingua, aliud uolebat animus. Cæterum, quod in paucis fit, non pertinet ad generalem ſententiam. Et tamen in his quicquid deus uult, ex iuſtis cauſſis uult, licet nobis aliquoties incognitis. Huic uoluntati nemo poteſt reſiſtere, ſed ordinatæ uoluntati, ſiue ut ſcholæ uocant, uoluntati ſigni nimirum ſæpe reſiſtitur. An non reſiſtit Hieroſolyma, quæ noluit congregari, quum deus uoluerit? Sed dixerit aliquis: Interim duplici nomine neceſſitas eſt in rerum euentis, quod nec præſcientia dei falli poſſit, nec uoluntas impediri. Nõ omnis neceſſitas excludit liberam uoluntatem, quemadmodum deus pater neceſſario gignit filium, & tamen uolens ac libere gignit, quia non coactus. Poteſt & in humanis rebus aliqua poni neceſſitas, quæ tamen non excludat libertatem noſtræ uoluntatis. Preſciebat deus, & quod

præſcie-

præsciebat aliquo modo uolebat, fore ut Iudas proderet dominum. Itaq; si spectes dei præscientiam infallibilem, & uoluntatem immutabilem, necessario euenturum est, ut Iudas prodat dominum, & tamen Iudas poterat mutare uoluntatem suam, aut certe poterat non suscipere uoluntatem impiam. Dices: Quid si mutasset? Non fuisset falsa dei præscientia. nec impedita uoluntas, quum hoc ipsum præsciturus fuerit ac uoliturus, quod esset mutaturus uoluntatem. In his quirem scholastica subtilitate discutiũt, recipiunt necessitatem consequẽtiæ, consequentis necessitatem reijciunt. Nam his uerbis solẽt explicare quod sentiunt. Fatentur enim necessario consequi, quod Iudas proditurus fuerit dominum, si hoc ab æterno uolũtate efficaci uoluit deus: at negant consequi, quod ideo necessario proditurus sit, quum ex sua praua uoluntate susceperit impium negocium. Sed non est huius instituti, hoc genus argutias persequi. Iam quod dictum est: Indurauit dominus cor Pharaonis, potest eodem accipi sensu, quo accipitur illud Pauli: tradidit illos in reprobum sensum: ut idem opus sit peccatum, & pœna peccati. Sed quos tradit deus in reprobum sensum, utique tradit ob merita præcedentia, ueluti Pharaonem, quod tot signis prouocatus, noluerit dimittere populum: philosophos, quod quum dei diuinitatem nosset, coluerint lapides & ligna. Verum ubi

Exodi. 7.

Roma. 1.

mera perpetuaq; neceſſitas eſt, nulla poſſunt eſſe merita, neq; bona, neq; mala. Ad hæc, negari nõ poteſt, quin ad omnem actum cõcurrat operatio diuina, quũ omnis actio res quædam ſit, atq; etiam bonum quoddam ſit, uelut adulteram complecti, aut hoc ipſum uelle. Cæterum actus maliciæ non proficiſcitur à deo, ſed à noſtra uoluntate, niſi quod deus, ut dictum eſt, dici poſſet aliquo ſenſu maliciam uoluntatis operari in nobis, ut eam ſinat ire quò uelit, nec reuocet per ſuam gratiam. Ita perdidiſſe dicitur hominem, qui quum ſeruare poſſet, paſſus eſt perire. Sed hiſce de rebus ſatis, quod ad hũc locum attinet. Nunc ad alterum de Eſau & Iacob, de quibus nondum natis oraculo reſpõſum eſt: Maior ſeruiet minori, ut habetur Geneſis. 25. Sed hæc uox non proprie pertinet ad hominis ſalutem: poteſt enim deus uelle, ut homo, uelit nolit, ſeruus ſit, aut pauper, ut tamen non reijciatur ab æterna ſalute. Cæterũ, quod attexit ex Malachiæ cap. 1. Iacob dilexi Eſau autẽ odio habui: ſi literã urgeas, deus nec amat quemadmodum nos amamus, nec odit quenquam, quũ in hunc nõ cadant affectus huiuſmodi. Præterea, quod cœperam dicere, uidetur illic loqui propheta non de odio quo damnantur in æternũ, ſed de afflictione temporaria: ueluti dicitur ira ac furor dei. Reprehenduntur illic, qui uolebant extruere Idumæã, quam deus uolebat manere dirutam. Porrò quod attinet ad tropologiam, nec omnes gẽtes dilexit deus, nec omnes Iudæos

odit,

odit, sed ex utraq; gente quosdam elegerat, ut hoc testimonium apud Paulũ non admodũ pugnet a [illegible]bandam necessitatem, sed potius ad retundẽdam arrogantiam Iudæorum, qui credebãt sibi proprie deberi gratiam Euangelicam, quod essent posteritas Abrahæ, & gentes abominabãtur, nec recipi patiebantur ad Euangelicæ gratiæ consortiũ. Id paulo post explicans dicit: Quos & uocauit, non solũ ex Iudæis &c. Quoniam aũt deus quos odit aut diligit, ex iustis caussis odit aut diligit, nõ magis officit libertati arbitrij odiũ & amor, quo prosequitur nascituros, quàm quo natos. Nõdum natos odit, quia certo præscit illos gesturos odio digna: natos odit, quia committũt odio digna. Iudæi qui erant populus dilectus, reiecti sunt, & gentes qui non erant populus, receptæ sunt. Quare Iudæi recisi sunt ab olea? quia noluerunt credere. Quare insitæ gentes? quia obedierunt Euangelio. Hanc caussam adfert ipse Paulus: Propter incredulitatẽ, inquit, fracti sunt, utiq; quia credere noluerunt. Et exectis facit spem ut rursus inserãtur, si relicta incredulitate uoluerint credere: & insitis inijcit metum, ne excidantur, si auerterint sese à gratia dei. Tu, inquit, fide stas, noli altum sapere, sed time. Ac mox: Vt non sitis uobismet ipsis sapientes. Hæc nimirum arguunt Paulum hoc illic agere, ut reprimat gentium simul & Iudæorum arrogantiam. Tertius locus est Esaiæ 45. Væ qui contradicit factori suo, testa de samijs terræ. Nunquid dicet lu

tum figulo ſuo: Quid facis? & opus tuum abſq; manibus eſt? Sed euidentius apud Hieremiã cap. 18. Nun quid ſicut figulus iſte non potero uobis facere domus Iſraël? Ecce, ſicut lutum in manu figuli, ſic uos in manu mea. Hæc teſtimonia magis pugnant apud Paulũ, quàm apud prophetas, unde decerpta ſunt. Paulus.n. ita recenſet: An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere, aliud quidem uas in honorẽ, aliud uero in contumeliam? Quod ſi deus uolens oſtendere iram, & notam facere potentiã ſuam, ſuſtinuit in multa patientia uaſa iræ apta ad interitum, ut oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in uaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam. &c. Vterq; locus prophetæ obiurgat populum obmurmurantem domino, quod affligeretur ad emendationem. Horum impias uoces retundit propheta, quemadmodum Paulus retudit hanc impiam reſponſationem: O homo tu quis es. In his autem non aliter debemus nos ſubmittere deo, quàm figuli manibus obtemperat lutum udum. Verum hoc non admit in totum liberum arbitrium, nec excludit uoluntatem noſtram, uoluntati diuinæ cooperantem ad ſalutem æternam. Etenim apud Hieremiam mox ſequitur cohortatio ad pœnitentiam, quem locum ante retulimus. Ea fruſtra fit, ſi ex neceſsitate fiunt omnia. Porrò, quod hic Pauli ſermo nõ pertinet ad excludendã in totum liberi arbitrij uim, ſed ad retundendam impiam murmurationem Iudæorum aduerſus deũ, qui ob per

Rom. 9.

uicacem

uicacem incredulitatem reijciebantur à gratia Euangelij, gentibus ob credulitatem receptis, satis explicat secunda epistola ad Timotheum cap. 2. In magna autem, inquiens, domo non solum sunt uasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, et quædam quidem in honorem, quædam uero in contumeliam. Si quis ergo se emundauerit ab istis, erit uas in honorem sanctificatum, & utile domino, ad omne opus bonum paratum. Huiusmodi uero similitudines docendi gratia sic adhibentur in literis sacris, ut tamen non quadrent per omnia. Alioqui quid stultius, quàm si quis dicat matulæ samiæ: Si teipsam expurgaris, eris uas utile & honorificum: uerum hoc recte dicitur testæ rationali, quæ monita potest sese accommodare ad uoluntatem domini. Præterea, sit sanè simpliciter homo deo, quod lutum est in manu figuli, qualecunq; uas fingitur, nulli imputabitur, nisi figulo, præsertim si talis sit figulus, qui lutum etiam ipsum suo arbitrio crearit ac temperarit. Hic uas, quod ideo nihil commeruit, quia sui iuris non est, conijcitur in ignem æternum. Ad id igitur interpretemur parabolam, cuius docendi gratia adhibita est. Quod si uelimus omnes eius partes superstitiose ad id quod propositum est accommodare, cogemur multa ridicula dicere. Figulus hic facit uas in contumeliam, sed ex meritis præcedentibus, quemadmodum reiecit Iudæos quosdam, sed ob incredulitatem. Rursus ex gentibus fecit uas honorificum

rificum ob credulitatem. Iam q̃ nos urgent ſacræ ſcripturæ uerbis, ac ſimilitudinem de figulo & maſſa uolunt ſimpliciter accipi, qutur non concedunt nobis, ut
2. Tim. 2. alterum locum: Si quis ſe emundauerit, ſimpliciter accipiamus? Et ita Paulus reperietur ſibi contradicere. In priore loco totũ ponit in manu dei, hic totũ ponit in manu hoīs. Et tamen uterq; locus ſanus eſt, quanq̃ aliud hic, aliud agit ille. Prior occludit os obmurmurãtis deo, poſterior inuitat ad induſtriam, ac deterret à ſecuritate aut deſperatione. Non diſſimilis huic locus eſt Eſaiæ cap. 10. Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea, aut exaltabitur ſerra contra eũ, à quo trahitur? Quomodo ſi eleuetur uirga cõtra eleuantem ſe, & exaltetur baculus, qui utiq; lignum eſt. Hæc dicta ſunnt aduerſus impiũ regem, cuius ſæuitia deus abuſus fuerat ad caſtigandum populum ſuum. At is ea, quæ gerebãtur diuino permiſſu, tribuebat ſuæ ſapientiæ, ſuisq; uiribus, quum fuiſſet organum iræ diuinæ. Organum erat, ſed uiuum & rationale. Quale ſi eſſet ſecuris & ſerra, non abſurde dicerentur et ipſæ aliquid agere unà cum fabro. Serui ſunt inſtrumenta uiua dominorum, ut docet Ariſtoteles, qualia forent ſecures, ſerræ, ligones, aratrũ, ſi per ſe moueri poſſent, quemadmodum tripodes ac lebetes, quos ſic fabricatus erat Vulcanus, ut ſua ſponte uenirent in certamen. Herus præſcribit, ſuppeditat ea quibus eſt opus, neque quicquã poſſit efficere ſeruus abſq; domino, & tamen

nemo

nemo dicat ſeruũ nihil agere, domini iußis obſequentem. Porrò ſimilitudo adhibita non ualet ad tollendam arbitrij libertatem, ſed ad retundendam arrogantiam regis impij, non deo, ſed ſuo robori ſuæq; ſapientiæ tribuentis quod geſſerat. Neq; uero difficile diluitur qđ adducit Origenes ex Ezechiele: Auferam cor lapideũ ab eis, & immittã eis cor carneum. Simili figura poſſet dicere præceptor diſcipulo ſolœciſſanti: Eximam tibi linguam iſtam barbaricam, & inſeram Romanã: nihilo ſecius tamen à diſcipulo requirit induſtriam, tametſi citra præceptoris operam non poſſet diſcipulus mutare linguam. Quid eſt cor lapideum? Cor indocile & obſtinatũ in malicia. Quid eſt cor carneũ? Cor docile, & obſequẽs gratiæ diuinæ. Qui ſtatuunt liberum arbitrium, nihilo ſecius fatentur animũ in malis obſtinatum, non poſſe ad ueram pœnitentiã emoleſcere, niſi adiutrice gratia cœleſti. Qui docilem reddit, exigit & tuum conatum, ut doctus euadas. Dauid orat: Cor mundum crea in me deus: Et Paulus dicit: Qui ſe emundauerit. Ezechiel dicit: Facite uobis cor nouum, & ſpiritum nouum. Contrà, Dauid clamat: Et ſpiritum rectũ innoua in uiſceribus meis. Dauid orat: Et omnes iniquitates meas dele. Contrà Ioannes: Oĩs qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus ẽ. Dauid orat: Libera me de ſanguinibus deus. Propheta reclamat: Solue uincula colli tui, captiua filia Sion. Et Paulus: Abijciamus opera tenebrarum. Itẽ

Pſal. 50. Ezech. 18 1. Ioan. 3. Eſaiæ. 52. Rom. 13.

2. Pet. 2. Petrus: Deponentes omnem maliciam & omnem dolum, & ſimulatiões. &c. Paulus ad Philip. 2. Cum metu, inquit, & tremore ueſtrã ſalutem operamini. Atq; idem prioris ad Corinthios 12. Idẽ uero deus, qui operatur omnia in omnibus. Huius generis pluſquam ſexcenta loca ſunt in diuinis literis. Si nihil operatur homo, quur dicit: Operamini? Siquid agit homo, quur dicit: Deus operatur omnia in omnibus? Quorum altera, ſi quis ad ſuum commodum detorqueat, nihil agit homo. Altera, ſi quis ad ſuam cauſſam urgeat, totum facit homo. Quod ſi nihil agit homo, nullus eſt locus meritis. Vbi non eſt locus meritis, ibi nec ſupplicijs, nec præmijs locus eſt. Si totum agit homo, non eſt locus gratiæ, cuius mentionem toties inculcat Paulus. Non ſecum pugnat ſpiritus ſanctus, cuius afflatu proditæ ſunt Canonicæ literæ. Vtraque pars amplectitur & agnoſcit inuiolabilem ſcripturæ maieſtatem. Sed interpretatio quærenda, quæ nodum explicet. Qui tollunt liberum arbitrium, ſic interpretabũtur: Ad qd̃ uelis, extende manum, id eſt, gratia extendet manum tuam ad quod ipſa uelit. Facite uobis cor nouũ, id eſt, gratia dei faciet in uobis cor nouum. Omnis qui habet hanc ſpem, in eo ſanctificat ſe, id eſt, gratia ſanctificat ipſum. Et abijciamus opera tenebrarum, id eſt, gratia abijciat. Toties occinitur hæc cantio in diuinis literis: Fecit iuſtitiam, operatus eſt iniquitatem. Id quo ties occurrit, exponemus, deus fecit & operatus eſt

in illo

in illo iustitiam & iniquitatem. Iam si proferam hic ueterum orthodoxorum aut etiam conciliorum interpretationem, mox reclamabitur, homines erāt. Atqui in interpretatione tam uiolenta tortaq; , non licebit mihi dicere, Lutherus homo est? Sanè penes istos uictoria est, si ipsis licet, utcunq; caussæ commodum est, interpretari scripturas, nobis nec ueterum interpretationem sequi licebit, nec nostram adferre in mediū. Et hæc scriptura dilucidior est, q̄ ut egeat interprete, extende manum ad quod uoles, id est, gratia extendet manum tuā, ad quod ipsa uolet, quod probatissimi doctores interpretati sunt, somnium erit, non enim dicam quod alij non tacuerunt, instinctus Satanæ. Atqui hæc loca, quæ uidētur inter se pugnare, facile redigun tur in concordiā, si nostræ uoluntatis conatū cum auxilio diuinæ gratiæ copulemus. In comparatiōe figuli & securis, mordicus urgent nos uerbis simpliciter intellectis, quoniam ita commodum est caussæ ipsorum, hic parum pudenter recedunt à uerbis diuinæ scriptu ræ, uidelicet non multo uerecundius interpretantes, q̄ si quis dicat Petrum scribere, & alius interpretetur, non ipse scribit, sed alius scribit in ædibus eius. Nūc experiamur, quantū habeant roboris, quæ Martinus Lutherus adducit ad subruendā liberi arbitrij potesta tem. Adducit enim ex Geneseos cap. 6. & 8. Non permanebit spiritus meus in hoīe in æternū, quia caro est. Hoc loco scriptura non accipit carnē simpliciter pro

impio

impio affectu, quemadmodum aliquoties usurpat Paulus, quum opera carnis iubet mortificari, sed pro infirmitate naturæ procliuis ad peccandum. Quemadmodum Corinthios carnales appellat, quod nondũ essent capaces solidioris doctrinæ, uelut infantes etiamnũ in Christo. Et Hieronymus in quæstionibus Hebraicis indicat apud Hebræos aliud haberi, quàm nos legimus, Gen. 6. nimirum ita: Non iudicabit spiritus meus hoïes istos in sempiternum, quia carnes sunt. Quæ uerba nõ seueritatem dei, sed clementiam sonãt. Carnes enim appellat infirmæ conditionis, & ad malum procliues: spiritum autem uocat indignationem. Negat itaq; se uelle illos æternis supplicijs seruare, sed uelle misericorditer hiç pœnas de illis sumere. Et tamen hoc dictũ non pertinet ad uniuersum genus hominum, sed tantũ ad illius ætatis homines nefandis uitijs corruptißimos. Et ideo dicit, in hominibus istis. Nec tamen simpliciter ad uniuersos illius ætatis homines pertinebat, quandoquidẽ laudatur Noë ut uir iustus & deo gratus. Eodem modo dissolui potest qđ adfertur ex eiusdem operis ca. 8. Sensus enim & cogitatio cordis humani prona sunt ad malum ab adulescentia sua. Et cap. 6. Cuncta cogitatio cordis intenta est ad malũ omni tempore. Procliuitas aũt ad malum, quæ est in plerisq; hoïbus, non admit in totũ libertatẽ arbitrij, etiãsi uinci in totum non potest, sine auxilio gratiæ diuinæ. Quod si nulla pars resipiscẽtie pẽdet ab arbitrio, sed oĩa necessitate

quadam

quadam geruntur à deo, quur inibi datum est hominibus spatium pœnitendi? Eruntq; dies illius centum & uiginti annorum. Nam Hieronymus in quæstionibus Hebraicis, huc locum referri uult non ad spatium humanæ uitæ, sed ad tempus diluuij, quod indultum est, ut interim, si uellent, resipiscerent: si nollent, digni uiderentur ultione diuina, qui lenitatē domini contempsissent. Porrò qđ adducit ex Esaiæ cap. 40. Suscepit de manu domini pro oībus peccatis suis. Hieronymus de diuina uindicta interpretatur, non de gratia reddita pro malefactis. Quanquam enim Paulus dicit: Vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia: nō tamen consequitur ex hoc, quod ante gratiam gratū facientem non possit homo adiutus auxilio dei, per opera moraliter bona sese præparare fauori diuino, quemadmodum legimus de Cornelio Centurione nondum baptizato, ac nondū afflato spiritusancto: Precatiōes Actorū. 10 & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam apud deum. Si omnia opera mala sunt quæ fiunt ante gratiam illam summam, an opera mala conciliant nobis fauorē dei? Iam quod adfert ex Esaiæ cap. eodē: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni. Exiccatum est fœnum, & flos eius decidit. Quia spiritus domini sufflauit in illud, uerbum autem domini manet in æternum: mihi uidetur uiolentius trahi ad gratiam & liberum arbitrium. Siquidem hoc loco spiritū accipit Hieronymus pro indignatione diuina, carnem pro infirma

Rom. 5.

Ad hoc respondet Lirin. in 3 cap. ad Gall. 185.

infirma hominis conditione, quæ nihil ualet aduersus deum: florem pro gloria, quæ nascitur ex felicitate rerum corporaliũ. Iudæi gloriabantur in templo, in præputio, in uictimis; Græci gloriabantur in sapientia sua. Verum per Euangelium reuelata ira dei de cœlo, exiecta est omnis illa gloria. Nec tamen omnis affectus hominis est caro, sed est qui dicitur anima, est qui dicitur spiritus, quo nitimur ad honesta: quam partem animi, rationẽ uocant, aut ἡγεμονικὸν, id est, principalẽ, nisi forte in philosophis nullus fuit ad honesta nixus, q̃ docuerũt milies oppetendã mortem citius, quàm admittendam turpitudinem, etiam si sciremus futurum, ut & ignorarent homines, & deus ignosceret. Quam quã sæpe corrupta ratio male iudicat. Nescitis, inquit dominus, cuius spiritus sitis. Errore quærebãt uindictã quod ad preces Heliæ, descẽdisset oli ignis de cœlo, q̃ absumpsit pentecõtarchos cũ suo comitatu. Esse autẽ & in bonis spiritum humanũ diuersum à spiritu dei, declarat Paulus ad Rom. 8. Ipse enim spiritus testimoniũ reddit spiritui nostro, q̃ sumus filij dei. Quod si quis cõtendat, id quod est in hominis natura præstantißimũ, nihil aliud esse quàm carnẽ, hoc est, affectũ impiũ: huic facile assentiar, si quod asseuerat, sacræ scripturæ testimonijs doceat. Quod natũ est ex carne, caro est: & quod natũ est ex spiritu, spiritus est. Porrò Ioannes docet eos qui credũt Euãgelio, ex deo nasci, ac fieri filios dei, atq; adeo deos. Et Paulus distinguit hominẽ carnalem,

Luc. 9.

ndem, qui nõ ſapit ea quæ dei ſunt, à ſpirituali, qui oã nia dijudicat. Rurſus aliâs uocat nouam creaturã in Chriſto. Si totus homo etiam renatus per fidem nihil aliud eſt quàm caro, ubi ſpiritus è ſpiritu natus, ubi filius dei, ubi noua creatura? ſuper his doceri uelim. Interim abutar ueterũ autoritate, qui ſemina quædam honeſti tradunt inſita mentibus hominum, quibus aliquo modo uident & expetunt honeſta, ſed additos affectus craßiores, qui ſolicitant ad diuerſa. Porrò uolũtas huc aut illò uerſatilis dicitur arbitriũ, quæ tam etſi ob reliquam in nobis peccati procliuitatẽ, fortaſſe propenſior eſt ad malum quàm ad bonũ, tamen nemo cogitur ad malũ niſi conſentiat. Rurſus, quod recitat ex Hieremiæ cap. 10. Scio domine, quoniam nõ eſt hominis uia eius, nec uiri eſt ut ambulet & dirigat greſſus ſuos: magis ad rerũ lætarum & triſtium euẽtus pertinet, quàm ad poteſtatem liberi arbitrij. Frequenter enim quũ maxime cauent homines, ne quid incurrant mali, maxime malis inuoluuntur. Nec ob id adimitur libertas uoluntatis, uel his qui patiuntur, quia malũ uenturum non præuiderant: uel his qui inferunt, quia nõ eodẽ animo affligũt inimicos, quo deus per illos hoc facit, nimirũ ut caſtiget. Quod ſi maxime torqueas ad liberum arbitriũ, nemo nõ fatetur abſq; dei gratia neminẽ poſſe rectum uitæ curſum tenere, & quotidie oramus: Dirige domine deus in conſpectu tuo uiam meã. nihilo ſecius tamen interim annitimur et ipſi pro uiribus. oramus: Pſal. 5.

Inclina

Psal. 118. Inclina cor meum deus in testimonia tua. Qui petit auxilium, non deponit conatum. Iterũ Prouerbiorũ. 16. Hominis est præparare cor, domini autem est gubernare linguam. Et hoc ad euenta rerum pertinet, quæ possunt accidere aut non accidere, citra dispendium salutis æternæ. Quomodo autem est hominis præparare cor, quum Lutherus affirmet omnia necessitate geri? At idem eodem in loco dicit: Reuela domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ. Audis opa tua, audis cogitationes tuas, quorũ neutrũ dici potest, si deus in nobis operatur omnia & bona & mala. Initium uitæ bonæ, misericordia & ueritas &c. Aliaque inibi multa leguntur, quæ faciunt pro his qui statuunt liberũ arbitrium. Quod autem citat ex eodẽ capite: Omnia propter semetipsum operatus est dominus, etiam impium ad diem malum, Deus non condidit ullam naturam ex se malam, & tamen sic sua ineffabili sapientia temperat omnia, ut mala quoq; uertat in bonum nostrum, & in gloriam suam. Nec enim Luciferum condidit malum, sed sua sponte deficientem reseruat æternis supplicijs, & per huius maliciam exercet pios, punit impios. Neq; multo magis urget, quod refert ex capite. 20. Sicut diuisiones aquarum, ita cor regis in manu domini, quocũq; uoluerit inclinabit illud. Non statim cogit, qui inclinat: & tamen nemo negat, ut dixi, deum posse uim facere cogitationi hominis, extundere quod uolebat, & aliam uoluntatem inserere, quin

rere, quin et mentem ipsam potest adimere. Nec ideo tamen non manet in nobis regulariter liberum arbitrium. Quod si Solomon sentit hic, quod interpretatur Lutherus, quum omnia corda sint in manu domini, quur hoc ceu peculiare pronunciat de corde regis? Hic locus magis consentit cum eo quod legimus Iob 34. Qui regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi. Item Esaiæ. 3. Et dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabũtur eis. Quum deus propitius populo suo inclinat animum regis ad bona, non adfert illius uoluntati necessitatem. Cæterum, ad malum inclinare dicitur, quum offensus populi peccatis, non reuocat animum stulti principis ad rapinas, ad bella, ad tyrannidem propensum, sed sinit illum suis affectibus præcipitem agi, quo per illius maliciam castiget populum. Quod si quando fieret, ut deus regem ita commeritum impelleret ad maliciam, nihil est necesse peculiarem casum trahere ad sententiam generalem. Huiusmodi testimoniorũ, cuiusmodi Lutherus profert è Prouerbijs, ingẽs aceruus undiquaq; colligi poterat, sed magis faceret ad copiam quàm ad uictoriam. Tale genus argumẽtorum rhetores solent in mediam aciem conijcere. Sunt enim huiusmodi pleraque, ut adhibita commoda interpretatione, uel à libero arbitrio stare, uel contra liberum arbitrium pugnare queant. Illud telum Lutherus existimat Achilleum, & ineuitabile, quod Christus in Euãgelio Ioannis. 15.

dit: Sine me nihil poteſtis facere. Atqui mea ſententia poteſt ad hoc nõ uno modo reſpõderi. Primũ, uulgo nihil agere dicitur, qui nõ aſſequitur id quod expetit, & tamen frequenter aliquouſq; promouit, qui conatur. In hoc ſenſu ueriſſimũ eſt, nos ſine Chriſto nihil poſſe facere, loquitur enim illic de fructu Euãgelico, qui nõ contingit niſi manentibus in uite, qui eſt Chriſtus Ieſus

1. Corin. 3. Hoc tropo dixit Paulus: Itaq; neq; qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat deus. Quod minimi momenti eſt, ac per ſe inutile, nihil appellat. Item. 1. ad Corin. cap. 13. Si charitatem non habuero, nihil ſum. Et mox, nihil mihi prodeſt. Rurſus ad Romanos cap. 4. uocat ea quæ non ſunt, tanquã ſint. Rurſus ex Oſee, nõ populum uocat, populũ cõtemptũ & reiectum. Simili figura dictum eſt in pſalmis. Ego

Pſal. 21. ſum uermis & nõ homo. Alioqui ſi quis urgeat hac uoce, nihil, ne peccare quidem licebit ſine Chriſto. Nam Chriſtũ hic opinor dici gratiã eius, niſi cõfugiãt ad illud iam exploſum, peccatũ eſſe nihil. Et hoc in aliquo ſenſu uerũ eſt, quandoquidem nec ſumus, nec uiuimus nec mouemur ſine Chriſto. Atqui iſti donãt nõnunquã liberum arbitriũ abſq; gratia ualere ad peccandũ. Donarat hoc Luberus ipſe in principio ſuæ aſſertiõis. Eodem pertinet quod ait Ioannes baptiſta: Nõ poteſt homo accipere quicquã niſi fuerit ei datũ de cœlo. Nec ideo cõſequitur nullam eſſe uim aut uſum liberi arbitrij. Quod ignis calefacit, è cœlo uenit, quod nos iuxta

naturæ

naturæ ſenſum expetimus utilia, & refugimus noxia, è cœlo eſt, quod poſt lapſum impellitur uoluntas ad meliora ſtudia, è cœlo eſt: quod lachrymis, eleemoſynis, precibus aſſequimur gratiam quæ nos deo gratos reddit, è cœlo eſt. Nec interim nihil agit noſtra uoluntas, quanq̃ non aſſequutura quod conatur, niſi adiutricegratia: ſed quoniã minimũ hoc eſt, quod p nos agitur, totũ deo trãſcribitur, quemadmodum nauita q̃ nauim in portũ deduxit è graui tẽpeſtate incolumẽ, nõ dicit, ego ſeruaui nauim, ſed deus ſeruauit: & tamen illius ars & induſtria nõ fuit ocioſa. Similiter agricola cõuehẽs uberẽ prouentũ ex agris in horrea, nõ dicit, ego dedi tã copioſam annonã, ſed deus dedit. Et tamẽ interim q̃s dicat agricolã nihil egiſſe ad prouentũ frugũ? Sic & uulgo loquũtur: deus dedit tibi pulchros liberos, quũ ad hos gignendos nõ defuerit opera patris. Et, deus reſtituit me ſanitati, quũ nõnihil adiuuarit me dieus: quẽadmodũ dicimus, rex deuicit hoſtes. quum tamen duces & milites nauarint bonã operã. Nihil prouenit abſq̃ cœleſti pluuia, & tamẽ terra bona producit fructum, terra mala nihil adfert boni fructus. Sed quoniam humana opera nihil efficit, niſi acceſſerit fauor diuinus, ſumma tribuitur diuino beneficio. Niſi dominus ædificauerit domum, in uanũ laborãt qui ædificant eam. Niſi dominus cuſtodierit ciuitatẽ, fruſtra uigilat qui cuſtodit eam. Nec tamẽ interim in ædificãdo ceſſat cura fabrorum, nec in cuſtodiendo uigilan- Pſal. 126.

tia excubitorum. Iam, non enim uos estis qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Prima specie uidetur tollere liberum arbitrium, sed re uera adimit nobis sollicitudinem anxiam præmeditandi quid simus dicturi in negotio Christi: alioqui peccarēt concionatores, qui se studio præparant ad sacram cōcionem. Nec omnibus hoc expectandum, si quando discipulis rudibus spiritus infudit, quod dicerent quēadmodum infudit & linguarum donum. Et si quando infudit tamen in dicendo uoluntas eorum consentiebat afflatui spiritus, simulq; agebat cum agente. Atq; hoc sanè est liberi arbitrij. Nisi forte recipiemus sic deum loquutum per os Apostolorum, quemadmodum loquebatur Balaamo per os asinæ. Sed magis urget quod est apud Ioannem. 6. Nemo potest uenire ad me nisi pater meus traxerit eum. Trahendi uerbum uidetur sonare necessitatem, & excludere uoluntatis libertatem. Verum hic tractus non est uiolentus, sed facit ut uelis, quod tamen potes nolle, quemadmodum ostēdimus puero malum & accurrit, ostendimus oui ramum salicis uirentem, & sequitur: ita deus pulsat animum nostrum sua gratia, & uolentes amplectimur. Sic accipiendum & illud quod habetur apud eundem cap. 14. Nemo uenit ad patrem nisi per me. Sicut pater glorificat filium, filius patrem, ita pater trahit ad filium, & filius ad patrem. Sic autē trahimur, ut mox uolentes curramus. Sic legis in Cātico. Trahe me post te, cur-

Matt. 10.

Can. 1.

te, curremus &c. Ex Paulinis item epistolis aliquot loca colligi possunt, quæ uidentur omnẽ liberi arbitrij uim subuertere: quod genus est illud 2. Corinth. 3. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed omnis nostra sufficientia ex deo est. Verum hic duobus modis succurri potest libero arbitrio. Primum enim quidam orthodoxi patres, tres gradus faciunt operis humani: primus est cogitare, secundus uelle, tertius perficere. Atq; in primo quidem ac tertio nullum locum tribuunt libero arbitrio quicquã operandi. Animus enim à sola gratia impellitur, ut cogitet bonum, & à sola gratia peragitur, ut perficiat quod cogitauit. Cæterum in medio, hoc est, in consensu, simul agit gratia & humana uolũtas: sic tamen, ut principalis caussa sit gratia: minus principalis, nostra uoluntas. Quoniam autem summa rei tribuitur illi, qui totum contulit ad perficiendum, non est quod homo ex bono opere sibi quicquam asserat, quum hoc ipsum, ut possit consentire, & cooperari gratiæ diuinæ, dei munus sit. Deinde hæc præpositio, ex, sonat originem ac fontem, eoq; Paulus distincte refert à nobis quasi ex nobis ἀφ' ἑαυτῶν ὡς ἐξ ἑαυτῶν. i. ex nobis ipsis. Hæc dici poterant etiam ab illo qui donaret, hominem naturæ uiribus efficaciter uelle bonum, quandoquidem nec eas uires habet ex sese. Quis enim negat omne bonũ à deo uelut à fonte proficisci? Atq; id frequenter inculcat Paulus, ut adimat nobis arrogan-

1. Cor. 4 tidm ac fiduciam noſtri, quod & alibi facit: Quid habes qđ non accepiſti? Si accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Gloriam audis, quam retundit hoc dicto. Idem audiſſet ſeruus, qui domino lucrum ex uſura partum adnumerat, ſi ſibi uindicaſſet laudē bene collocatæ operæ. Quid habes quod non accepiſti? Et tamen ob ſtrenue nauatam operam collaudatur à domino. Eandem cantionem canit Iacobus. 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectū deſurſum eſt deſcendens. Itē Paulus ad Epheſios. 1. Qui operatur oia ſecundum conſilium uoluntatis ſuæ. Et hæc eò pertinent, ne quid arrogemus nobis, ſed omnia referamus accepta gratiæ diuinæ, qui nos auerſos uocauit, qui p fidem purificauit, qui hoc ipſum donauit, ut noſtra uoluntas poſſit eſſe σωφρονὸς illius gratiæ, quanquā hæc uel ad omnia ſatis abūde ſit ſola, nec opus habeat ullo humanæ uoluntatis auxilio. Cæterum quod eſt ad Philip. cap. 2. Deus enī operatur in nobis & uelle & perficere, pro bona uoluntate, non excludit liberum arbitrium, quum enim ait, pro bona uoluntate, ſi referas ad hominem, ut interpretatur Ambroſius, intelligis bonā uoluntatem ſimul agere cum agente gratia. Ac mox inibi præcedit: Cum metu & tremore ueſtram ſalutē operamini. Vnde colligis et deum operari in nobis, & uoluntatem ac ſolicitudinem noſtram ſimul adniti cū deo. Eam interpretationem ne quis putet reijciendam præcedit, ut dictum eſt, hunc locum, ueſtram ipſarum

ſalutem

ſalutem operamini ἐργάζεσθε, quod uerius ſignificat operari, quàm uerbum ἐνεργεῖν, quod deo tribuitur, ὁ ἐνεργῶν. ἐνεργεῖ uero proprie, quod agit & impellit. Sed ut idem polleant ἐργάζεσθαι καὶ ἐνεργεῖν certe locus hic docet & hominem operari & deum. Quid autem operatur homo, ſi idem eſt noſtra uoluntas deo, quod argilla figulo? Non enim uos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris ueſtri qui loquitur in uobis. Mat. 10.
hoc apoſtolis dictum eſt. Et tamen in actis Petrus legitur loquutus. Tunc repletus ſpiritu ſancto Petrus dixit ad eos. Quomodo cohærebunt hæc inter ſe contraria, tu non loqueris, ſed ſpiritus, & Petrus loquutus eſt plenus ſpiritu ſancto, niſi quod ſpiritus ſic loquitur in apoſtolis, ut ſimul & ipſi loquantur obtemperantes ſpiritui, & tamen uerum eſt, eos non loqui, non quod nihil agant, ſed quod ipſi non ſint principales ſermonis autores. Itidem de Stephano legimus: Et non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui qui loquebatur: & tamen ipſe loquitur apud concilium. Ita Paulus: Viuo autem iam non ego, uiuit uero in me Chriſtus. Et tamen iuſtus apud eundem ex fide uiuit. Quomodo igitur uiuens non uiuit? quia ſpiritui dei fert acceptum quod uiuit. Et ad Corinth. prima cap. decimoquinto. Non autem ego, ſed gratia dei, quæ mecum eſt. Si nihil egerat Paulus, quur ante dixerat, ſe feciſſe. Sed abundantius, inquit, illis omnibus laborauí. Si uerum erat, quod dixerat, quur hic corrigit quaſi perperam Acto. 4. Acto. 6. Gal. 2. Rom. 1. Abacuc. 2

dictum? Nimirum huc spectabat correctio, non ut intelligeretur nihil egisse, sed ne uideretur suis uiribus asscribere, quod auxiliante dei gratia gesserat. Igitur insolentiæ suspicionè excludit ea correctio, non operis societatem. Non enim uult deus ut homo sibi quicquam tribuat, etiãsi quid esset quod merito posset sibi
Luc. 17. tribuere. Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. An nõ rem egregiam præstiterit, qui seruarit omnia præcepta dei? Qualis an omnino quisquã reperiatur nescio. Et tamen qui hoc præstiterint, iubentur dicere, serui inutiles sumus. Non negantur fecisse sed docentur uitare periculosam arrogantiam. Aliud loquitur homo, aliud loquitur deus. Homo dicit ser-
Luc. 15. uus sum, & seruus inutilis. Quid dominus? Euge serue
Ioan. 15. bone & fidelis. Et: Iam non dicam uos seruos sed amicos: Eosdem pro seruis fratres appellat. Et qui se uocãt seruos inutiles, deus appellat filios suos: atq; hi ipsi qui se nunc prædicant seruos inutiles, audiunt à domi-
Matth. 25 no: Venite benedicti patris mei: & audiunt commemorari sua benefacta, quæ ipsi se fecisse nescibant. Arbitror autem præcipuam esse clauem ad diuinæ scripturæ intelligentiam, si spectemus quid eo in loco agatur: hoc animaduerso conueniet ex parabolis aut exemplis illud excerpere, quod ad institutum pertinet. In parabola de œconomo, qui submouendus ab officio fraude mutat codicillos debitoribus domini, q̃ multa

sunt

sunt, quæ nihil faciunt ad sensum parabolæ? hoc tantũ excerpitur, magno cuiq; studio conandum esse ut dotes á deo acceptas largißime effundat iuuandis proximis, anteq̃ mors occupet. Itidem in parabola, quã mõ attigimus: Quis uestrum habens seruum arantem, aut Luc. 17.
pascentẽ boues, qui regresso de agro dicat illi statim, transi & recumbe, et non dicit, para quod cœnem & præcinge te, & ministra mihi donec manducem & bibam, & post hoc tu manducabis & bibes: nunq̃d gratiam habet seruo illi, quia fecit, quæ ei imperauerat? Non puto. Huius parabolæ summa est, ut simpliciter obedientes iußis diuinis, strenue suo fungerentur officio, nec hinc quicquam laudis sibi uindicarẽt. Alioqui dominus ipse dißidet ab hac parabola qui se geßit pro ministro, quũ discipulis concesserit honorem discumbentium. Et gratias agit: q'uũ ait: Euge serue bone. Et: Venite benedicti. Itaq; non subijcit, ita & uos cum feceritis omnia, dominus nulla gratia dignos iudicabit, & pro seruis inutilibus habebit: sed ait, uos dicite, serui inutiles sumus. Sic Paulus qui plus oĩbus laborarat, appellat se minimũ apostolorum, & indignũ apostoli noĩe. Similiter apud Matth. cap. 10. Nónne duo passeres asse ueneunt, & unus ex illis non cadit super terrã sine patre uestro. Spectandum est in primis quid illuc agat dominus, non enim uoluit docere Diomedeã, q'd aiunt, oĩum rerũ necessitatem, sed eò tendit hoc exemplum, ut eximat discipulis metũ hominum, q'd intelli-

gerent se deo curæ esse, nec ab hominibus lædi posse, nisi illius permissu, illum uero nõ permissurum, nisi sic expediret ipsis & Euangelio: alioqui Paulus. 1. ad Corinthios. 9. Nunquid, inquit, de bubus cura est deo? Videtur autem & in hoc, quod sequitur apud Euange-
Mat. 10. listam, hyperbole subesse. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Tot capilli quotidie defluunt in terram, an & hi uocabuntur ad rationem? Quid igitur agebat hyperbole? Nimirum illud quod sequitur: Nolite ergo timere. Quemadmodum igitur his tropis eximitur metus hominum & confirmatur fiducia erga deum, sine cuius prouidentia nihil omnino fit: ita, quos supra recensuimus, non hoc agunt ut tollant liberum arbitrium, sed ut deterreant nos ab arrogantia, quam odit dominus. Tutius est totum transscribere domino, benignus est, nec solum reddet nobis quod nostrum est: uerum etiam, quod ipsius est, iubebit esse nostrum. Filius ille prodigus quomodo dicitur prodigisse portionem suæ substantiæ, si nulla portio fuit in illius manu? Quod habebat acceperat à patre. Et nos fatemur omnes naturæ dotes esse dona dei. Habebat portionem suam etiã tum, quum esset in manu patris, & habebat tutius. Quid igitur est efflagitata portione diuertere à patre? Nimirum est naturæ dotes arrogare tibi, easq; non applicare ad implenda præcepta dei, sed ad explendas carnis concupiscẽtias. Quid est fames? Est afflictio qua deus extimulat mentẽ peccatoris,

catoris, ut agnoscat & oderit seipsum, tangaturq; desiderio relicti patris. Quid est filius secum loquens, cõfessionem ac reditum meditans? Est uoluntas hominis applicans sese ad gratiã extimulantẽ, quã, ut diximus, uocãt præuenientem. Quid est pater occurrens filio? Est gratia dei, quæ prouehit uoluntatem nostrã, ut pficiamus quod uolumus. Hæc interpretatio si meũ esset commentum, certe probabilior esset, q̃ istorum q̃ quo cõuincant hominis uolũtatem nihil agere, porrige manum ad quod uoles, interpretãtur, gratia porrigit manum tuam ad quod ipsa uolet. Nunc quum sit ab orthodoxis patribus tradita, non uideo quare debeat contemni. Eodẽ pertinet quod uidua paupercula, duo minuta, hoc est, totam substantiam suam mittit in gazophylacium. Rogo quid meritorum potest arrogare sibi, qui quicquid, hoc est, quod homo potest intellectu naturali & uoluntatis libertate, totum debet ei, à quo uires eas accepit? Et tamen deus hoc ipsum nobis imputat pro meritis, quod non auertimus animum nostrum ab ipsius gratia, quod naturæ uires ad simplicem obedientiam appellimus. Hoc certe tantũ ualet, ut falsum non sit, hominem aliquid agere, & tamen omnium quæ facit summam deo uelut autori tribuat, unde profectum est ut potuerit suum conatum cum dei gratia coniungere. Ita Paulus: Gratia, inquit, dei sum id qd̃ sum. Agnoscit autorẽ. Sed quũ audis: Gratia eius in me uacua nõ fuit: agnoscis humanã uoluntatem 1. Cor. 15

simul

simul adnitentem auxilio diuino. Idem indicat quum ait: Non ego, sed gratia dei, quæ mihi adest. Nam Græcis est, ἡ σὺν ἐμοί. Et Hebræus ille sapientiæ prædicator optat sibi assistere diuinam sapientiam, ut secũ sit, ac secum laboret. Assistit tanq̃ moderatrix, et adiutrix quemadmodũ architectus assistit ministro, præscribit quid sit agendum, ostendit agendi rationẽ, si quid ille perperam facere cœperit, reuocat, si quid ille deficit succurrit, opus asscribitur architecto, sine cuius ope nihil poterat effici, & tamen nemo dixit ministrũ ac discipulũ nihil egisse. Quod architectus est discipulo, hoc gratia est uoluntati nostræ. Ita Paulus ad Romanos cap. 8. Similiter & spiritus adiuuat infirmitatẽ nostram. Nemo uocat infirmũ, qui nihil potest, sed cui uires non sufficiunt peragendo quod conatur: nec adiutor dicitur, qui totũ solus facit. Tota scriptura clamat adiutorium, opem, auxilium, subsidium. Quis autem adiuuare dicitur nisi aliquid agentem? Neq; enim figulus adiuuat lutum ut fiat uas, nec faber securim ut fiat scamnũ. Itaq; q sic colligunt, nihil potest homo nisi auxiliante gratia dei, igitur nulla sunt hoĩs opera bona: his opponemus collectionẽ magis, ut arbitror, probabilẽ, homo nihil nõ põt auxiliante dei gratia, igitur oĩa opera hoĩs possunt esse bona. Quot igitur sunt in scripturis diuinis loca, quæ me minerunt auxilij, tot sunt quæ statuũt liberũ arbitriũ: atq; ea sunt innumerabilia Itaq; uicero si res æstimetur ex testimoniorum nũero.

Hacte-

Hactenus ex diuinis libris loca cõtulimus quæ statuũt liberũ arbitriũ, & ex aduerso, quæ uidentur in totũ tollere. Quoniam autẽ spiritus sanctus, quo autore prodita sunt hæc, nõ potest pugnare secũ, cogimur uelimus nolimus aliquã sententiæ moderationẽ quærere. Cæterum ut ex eadẽ scriptura alij aliam sumerẽt opinionẽ in causſa fuit, quod alius aliò spectaret, & ad suũ quenque scopũ interpretabatur quod legebat. Qui secũ reputabãt quãta esſet in hominibus ad studiũ pietatis socordia, deinde quantũ esſet malũ desperatio salutis: dũ his malis mederi studẽt, incauti in aliud incidêre malũ, ac plus satis tribuerũt libero hoïs arbitrio. Rursus alij ppẽdentes quãta sit pestis ueræ pietatis hominem suis uiribus ac meritis fidere, quàm intolerabilis quorundam arrogantia, qui sua benefacta iactant, atq; etiam ad mensuram ac pondus uendunt alijs, quemadmodũ uenditur oleũ & sapo: dũ hoc malũ magno studio uitãt, aut dimidiarũt liberũ arbitriũ, sic ut ad bonũ opus nihil prorsus ageret aut in totũ iugularũt inducta rerum omiũ absoluta necessitate. Nimirũ istis uisum est uehemẽter aptũ ad Christianæ mẽtis simplicẽ obediẽtiam, ut totus homo pendeat ànutu dei, in illius promissis spem omnem ac fiduciam ponat, & agnoscens quàm ipse ex sese sit miserabilis, miretur & amet illius immensam misericordiam, quæ nobis gratis tanta largitur, illius uoluntati se totum submittat, siue seruare uelit, siue perdere, nihil laudis ex benefactis sibi arro

get,

get, sed totam gloriam asscribat illius gratiæ, cogitans hominem nihil aliud esse, quàm uiuum organum diuini spiritus, quod ipse sibi purgauit consecrauitq; sua gratuita bonitate, quod pro sua inscrutabili sapientia moderatur ac temperat, nihil hic esse quod quisquam suis arroget uiribus, & tamen certa fiducia ab illo speret præmium æternæ uitæ, non quia suis bene factis promeruerit, sed quod eius bonitati usum sit promittere ipsi fidentibus: hominis partes esse, assidue precari deum ut impartiat & augeat in nobis spiritum suum, agere gratias, si quid per nos bene gestum est. illius potentiam in omnibus adorare, sapientiam ubique mirari, bonitatem ubique amare. Hæc oratio apud me quoque uchementer plausibilis est, congruit enim scripturis diuinis, respondet eorum professioni, qui semel mortui mundo, per baptismum simul sepulti sunt cum Christo, ut mortificata carne, posthac uiuant & agantur spiritu Iesu, in cuius corpus insiti sunt per fidem. Pia nimirũ & laudabilis sententia, quæ nobis omnem adimit arrogantiam, quæ in Christum transfert omnem gloriam simul & fiduciam, quæ nobis metum hominum ac dæmonum excutit, ac nostris ipsorum præsidijs diffisos, in deo fortes reddit & animosos. His libenter applaudimus usque ad hyperbolas. Quum enim audio, adeo nullum esse hominis meritum, ut omnia quamuis piorum hominum opera peccata sint: quum audio nostram

ſtram uoluntatem nihilo plus agere, quàm agat argilla in manu figuli: quum audio cuncta quæ facimus aut uolumus, ad abſolutam referri neceßitatem, multis ſcrupis offenditur animus, Primum: quomodo toties legis ſanctos plenos operibus bonis feciſſe iuſtici am, ambulaſſe rectos coram deo, non declinaſſe ad dexteram, nec ad ſiniſtram, ſi quicquid agunt etiam eximie pij, peccatum eſt, & tale peccatum, ut niſi ſubueniret dei miſericordia, demerſurum eſſet in tartarum eum pro quo mortuus eſt Chriſtus? Quomodo toties auditur præmium, ubi prorſus nullum eſt meritum? Qua fronte collaudatur obedientia eorum qui parent iußis diuinis, damnatur inobedientia qui non parent? Quur toties fit in ſacris literis iudicij mentio, ſi nulla eſt omnino meritorum expenſio? Aut quur cogimur ſiſti ad tribunal iudicis, ſi nihil ex noſtro arbitrio, ſed ex mera neceßitate geſta ſunt in nobis omnia? Obſtrepit & illa cogitatio, quorſum opus tot monitis, tot præceptis, tot minis, tot exhortationibus, tot expoſtulationibus, ſi nos nihil agimus, ſed deus pro ſua immutabili uoluntate operatur in nobis omnia, uelle & perficere? Vult nos aſſidue precari, uult aduigilare, certare, contendere ad brauium æternæ uitæ. Quur aſſidue rogari uult, quod ipſe iam decreuit dare aut non dare, nec mutare poteſt ſua decreta, quum ſit immutabilis ipſe? Quur iubet nos tot laboribus expetere, quod ipſe gratis largiri decre-

ri decreuit? Affligimur, eijcimur, exibilamur, excrucia
mur, occidimur, sic certat in nobis dei gratia, sic uin-
cit, sic triumphat. Tam atrocia patitur martyr, & ta-
men nihil illi tribuitur meriti, imò peccare dicitur ex-
ponès corpus suũ tormẽtis spe uitæ cœlestis. Sed quur
misericordissimus deus sic uoluit in martyribus opera
ri? Crudelis enim uideatur homo, si quod gratis largiri
decreuisset amico, nõ daret, nisi usq; ad desperationẽ
excruciato. Verum ad hanc diuini consilij caliginem
ubi uentum erit, fortasse iubebimur adorare quod as-
sequi fas non est, ut dicat mens humana, dominus est,
potest quicquid uult, & quoniam natura optimus est
non potest non esse optimum, quicquid uoluerit. Iam
& illud satis plausibiliter dicitur, quod deus sua dona
coronat in nobis, ac suum beneficium iubet nostrum es
se præmiũ. & quod in nobis operatus est ex sua gratui
ta bonitate id sibi fidentibus ueluti debitũ dignatur im
putare ad assequendã immortalitatẽ. Sed nescio quo-
modo sibi cõstent, qui sic in pijs exaggerãt dei miseri-
cordiã, ut in alijs penè faciãt illũ crudelẽ. Benignita-
tem sua bona nobis imputãtis utcunq; ferũt aures piæ:
cæterũ difficile explicatur quomodo iusticiæ sit (nõ n.
iam dico misericordiæ) alios, in quibus nõ dignatus est
operari bona, æternis addicere supplicijs, quum ipsi p
se nihil possint efficere boni, ut quibus aut nullum est
liberum arbitriũ, aut si est, ad nihil aliud ualet quàm ad
peccandũ. Si rex quispiã donaret ingẽs præmiũ ei qui

nihil

nihil egisset in bello, quũ cæteri q̃ grauiter se gessissent nihil ferrent præter solutũ salariũ, fortasse posset obmurmurãtibus militibus respõdere: Quæ uobis iniuria fit, si mihi libet ĩ hũc esse gratuito liberalẽ? At iustus & clemẽs q̃ posset uideri, si ducẽ, quẽ machinis, copijs, pecunijs, & oĩbus præsidijs affatim instruxisset ad bellũ, pro re bene gesta magnifice coronaret, et alterũ quẽ nullis instructũ præsidijs inermẽ bello obiecisset ob rẽ infeliciter gestã afficeret supplicio? Nõne moriens ille, iure diceret regi: Quur in me punis quod tua culpa cõmissũ est? si similiter instruxisses, similiter uicissem. Rursus, si herus in seruũ nihil cõmeritũ manum mitteret, haberet fortasse qđ alijs seruis obmurmurãtibus respõderet: Nihil uobis decedit, si in hũc ĵum benignior, habetis dimẽsum uestrũ. Atqui nemo nõ iudicaret crudelem & iniquũ dominũ, qui seruũ loris cæderet, uel q̃ minus esset ꝓcero corpore, uel naso porrectiore, uel alioqui parũ elegãte forma. Nõne is iure obmurmuraret domino cædẽti: Quur do pœnas ob id qđ in manu mea nõ est? Atq; hoc iustius etiã diceret, si domino esset in manu mutare uitiũ corporis in seruo, quẽ admodũ deo in manu est mutare uolũtatẽ nostrã: aut si dominus hoc ipsum, quo offẽditur, uitiũ addidisset seruo, ueluti si trũcasset nasum, aut faciẽ cicatricibus fœdasset quẽ admodũ deus iuxtà quorundã opinionẽ etiã mala oĩa operatur ĩ nobis. Rursus, qđ ad præcepta attinet, si dominus seruo cõpedibus astricto in pistrino, multa

præscriberet, abi illuc, fac hoc, curre, recurre, dira minitãs ni pareat. nec interĩ solueret illũ, iãq; nõ parenti uirgas expediret, nónne uideatur seruus ure dominũ uocare uel insanũ, uel crudelẽ, si loris occideret, q; nõ fecisset ea quæ nõ erãt in ipsius potestate? Porrò q; ĩsti fidem & charitatẽ in deũ in immensum exaggerant, æquis auribus ferimus, arbitrãtes uitã Christianorum tot undiq; scelerĩbus cõtaminatã, nõ aliũde ꝓficisci, q̃ ex fide nostra frigida et somniculosa, qua uerbotenus credimus deo, quæq; natat in summis labijs, cum iuxtà Rom. 10. Paulũ, corde credatur ad iustitiã. Nec admodũ digladiabor cũ his, qui ad fidem uelut ad fontẽ caputq; referunt oĩa, etiã si mihi fides ex charitate, charitas ex fide uicißim nasci aliq; uidetur: certè charitas alit fidem, quẽ admodũ in lucerna lumẽ alitur oleo: libẽtius enim illi fidimus, quẽ uehemẽter amamus. Nec desunt, qui fidẽ initiũ uoluut esse salutis potius, q̃ summã. Sed de his nõ cõtendimus. Cæterũ hic cauendũ erat, ne dũ toti sumus in amplificãdis fidei laudibus, subuertamus libertatẽ arbitrij, qua sublata, nõ uideo quo pacto possit explicari quæstio de iustitia, deq; misericordia dei. Ex huiusmodi angustijs, cũ sese nõ explicarẽt ueteres, q. dã duos deos facere coacti sunt: alterũ ueteris testamẽti, quẽ tãtũ uolebãt esse iustũ, nõ etiã bonũ: alterũ noui testamẽti, quẽ tantũ uolebãt esse bonũ, nõ iustũ, quorũ impiũ cõmentũ satis explodit Tertullianus. Manichæus, ut diximus, duas in hoĩe naturas somniauit: alterã

quæ

quæ nõ posset nõ peccare: alterã quæ nõ posset nõ benefacere. Pelagius dũ metuit iustitiæ dei, plus satis tribuit libero arbitrio: à quo nõ ita multũ absunt, q tãtum tribuũt uolũtati hoĩs, ut ex naturæ uiribus per opa moraliter bona ꝓmereri poßint gratiã illã supremã qua iustificamur. Hi mihi uidentur hoĩem ostẽsa bona spe salutis adipiscẽdæ ad conãdũ inuitare uoluisse. Quẽadmodũ Cornelius precibus et eleemosynis meruit doceri à Petro, Eunuchus à Philippo. Diuus Augustinus dũ sedulo quærit Christũ in Paulinis epistolis, meruit inuenire. Hic illos qui nõ ferunt quicq̃ boni hoĩem posse, qd̃ nõ debeat deo, sic placare possumus, ut dicamus nihilo secius totum opus deberi deo, sine quo nihil efficeremus, et qd̃ adfert momẽti liberũ arbitriũ ꝑpusillũ esse, & hoc ipsum esse diuini muneris, ut poßimus animũ ad ea quæ sunt salutis afflectere, aut gratiæ σωνεργεῖν. Augustinus ex colluctatiõe cũ Pelagio factus est iniqor libero arbitrio, q̃ fuerat antea. Cõtrà Lutherus ante nõnihil tribuẽs libero arbitrio, huc prouectus est calore defensiõis, ut in totũ tolleret. Atq reprehẽditur apud Græcos Lycurgus, opinor, q̃ odio temulẽtiæ uites incidi iusserit, quũ admotis propius fõtibus sic posset excludere temulentiã, ut tamẽ nõ periret usus uini. Poterat enim, mea sentẽtia, sic statui liberũ arbitriũ, ut tamẽ uitaretur illa fiducia meritorũ nostrorũ, cæteraq́; incõmoda quæ uitat Lutherus, simulq́; ea incõmoda quæ nos suprà recẽsuimus, nec ꝑirent ea cõmoda, quæ

miratur Lutherus. Hoc mihi uidetur præstare illorum sententia, qui tractū, quo primū extimulatur animus, totū attribuunt gratiæ. tantū in cursu tribuunt nōnihil hominis uoluntati, quæ se non subduxerit gratiæ dei. Quum autem rerum omnium tres sunt partes: initiū, progressus, & summa, duas extremas tribuūt gratiæ, tātum in progressu fatentur aliquid agere liberum arbitrium, sic tamen, ut ad idem opus induuiduū simul cō currant duæ causſæ, gratia dei, & hominis uoluntas, sic tamen ut gratia sit causſa principalis, uoluntas secundaria, quæ sine principali nihil poßit, quum principalis sibi sufficiat. Quemadmodū natiua uis ignis urit, & tamē principalis causſa deus est, qui simul per ignē agit, quæ uel sola sufficeret, & sine qua nihil ageret ignis, si se subduceret illa. Hac temperatura fit, ut homo totam salutem suam diuinæ gratiæ ferre debeat acceptam, quum perpusillum sit quod hic agit liberū arbitrium, & hoc ipsum quod agere potest, sit diuinæ gratiæ, qui primum condidit liberum arbitrium: deinde liberauit etiam ac sanauit. Atq; ita placantur, si modo placabiles sunt hi, qui non ferunt homini quicquàm esse boni, quod deo nō debeat. Debet et hoc, sed aliter alioq; titulo. Quemadmodū hæreditas ex æquo obueniens liberis, nō uocatur quidem benignitas, quia per cōmunem legem cōtingit omnibus. Si quid præter cōmune ius donatum est huic aut illi, liberalitas dicitur, tamē hæreditatis etiam nomine liberi debeāt parēti-

bus

bus, Conabimur & parabolis exprimere, qđ dicimus: Oculus hominis quamuis sanus nihil uidet in tenebris, excæcatus, ne in luce quidem: ita uolũtas quamuis libera, nihil tamen potest, si se subducat gratia: & tamẽ in fusa luce, potest occludere qui sanos habet oculos, ut nõ uideat, potest & oculos auertere, ut desinat uidere quod uidere poterat, Plus autẽ debet, qui oculos habebat excæcatos uitio quopiam. Primũ debet condito ri, deinde medico. Ante peccatũ utcũq; sanus erat oculus, peccato uitiatur oculus. Quid hic sibi potest arrogare, qui uidet? Est tamen quod sibi imputet, si prudẽs claudat aut auertat oculos. Accipe parabolam alterã: Pater infantem nondum ingredi potentem, collapsum erigit, utcunq; adnitentẽ, & pomũ ex aduerso positum ostendit: gestit puer accurrere, sed ob imbecillitatẽ mẽbrorũ mox denuo collapsurus esset, ni pater manu porrecta fulciret, regeretq; gressum illius. Itaq; patre duce peruenit ad pomũ, quod pater uolens dat illi in manũ, ueluti cursus præmiũ. Erigere se nõ poterat infans, nisi pater sustulisset: nõ uidisset pomũ, nisi pater ostendisset: nõ poterat progredi, nisi pater inualidos gradus ppetuo adiuuisset: nõ poterat attingere pomũ, nisi pater dedisset in manũ. Quid hic sibi uindicabit infans? Et tamen egit nõnihil. Nec habet tamẽ quod de suis uribus glorietur, quũ se totũ debeat patri. Ponamus. n. hoc interim esse quod est in deo. Quid igitur hic agit infans? Erigẽti utcunq; adnititur, & ad illius moderationem

tionẽ gressus infirmos, ut potest, accõmodat. Poterat pater trahere nolẽtem, & poterat reluctari puerilis animus, spreto pomo: poterat pater dare pomũ absq; cursu, sed sic dare maluit, quia sic magis expedit puero. Facile patiar ut aliquãto minus debeatur industriæ nostræ ad cõsequendũ uitã æternã, quàm pueri ad patris manũ currẽtis. Hic quũ uideamus minimũ esse tributũ libero arbitrio, tamen qbusdã hoc ipsum uidetur esse plus satis, solã. n. gratiã uolũt ĩ nobis agere, nostrã mentem in omnibus nihil eliud q̃pati, uelut organũ diuini spiritus, ut nullo pacto bonũ possit dici nostrũ, nisi quatenus diuina benignitas gratis hoc nobis imputat: gratiã enim non tam operari in nobis per liberũ arbitrium q̃ in libero arbitrio, quẽadmodũ figulus opatur ĩ argilla nõ per argillam. Vnde igitur coronæ præmiiq; mẽtio? Deus, inquiũt, sua dona coronat in nobis, ac suũ beneficiũ iubet esse nostrũ præmiũ, et qđ in nobis opatus est, imputare dignatur ad consortiũ regni cœlestis. Hic non uideo, quomodo statuant uoluntatẽ liberam, quæ nihil agat. Nam si dicerent, sic agi à gratia, ut acta simul ageret, facilior esset explicatio. Quemadmodum iuxta Physicos, corpus nostrũ principiũ motus habet ab anima, nec omnino moueri posset absq; anima, & tamen nõ solũ mouetur ipsum, uerum etiam mouet alia, et tanq̃ socius operis uocatur ad societatẽ gloriæ. Quod si deus sic operatur in nobis, quẽadmodum figulus in argilla, quid potest nobis imputari uel

in bo-

in bonum, uel in malum? Nō enim libet in hāc uocare quæstionē animā Iesu Christi, quæ nimirū & ipsa fuit organū diuini spūs. Et si carnis infirmitas obstat quominus mereatur homo, exhorruit & ille mortē, & nō uult fieri uoluntatē suā, sed patris. Et tamen hāc fatentur esse fontem meritorū, qui cæteris sanctis omnibus detrahunt omne meritū boni operis. Cæterū, qui negant ullum omnino liberum arbitriū esse, sed absoluta necessitate fieri oīa, fatētur deum in oībus operari, nō solū opera bona, uerumetiam mala. Vnde cōsequi uidetur, ut quèadmodū homo nulla ratiōe dici potest autor bonorū operum, ita nullo modo dici potest autor malorum. Hæc sentētia quum palàm uideatur Deo tribuere crudelitatē & iniustitiā, à quo sermone uehemēter abhorrent aures religiosæ (deus enim non esset, si quicq̄ in illum cōpeteret, uel uitij, uel imperfecti) tamē habent hi quoq; quod in causſa tam nō plausibili respondeant: Deus est, nō potest nō optimū & pulcherrimū esse quod facit, si spectes decorū uniuersi, etiam illa quæ per se mala sunt, hic bona sunt, & illustrāt gloriam dei, nec est ullus creaturæ iudicare cōsiliū creatoris, sed sese totam illi per omnia subijcere, adeo ut si uideatur deo hūc aut illum dānare, nō debeat obmurmurare, sed amplecti quicquid illi placuerit, illud semel persuasum habens, omnia per illum optime geri, nec posse aliter geri quàm optime. Alioqui q̄s ferat hominē si dicat deo, quur me nō feeisti angelum? Nónne

deus huic merito respõdeat: Impudẽs, si te fecissem ranã, qd habebas q̃ querereris? Itẽ si rana expostularet cũ deo, quur me nõ fecisti pauonẽ, uersicoloribus pennis cõspicuũ? nónne huic iure diceret: Ingrata, poterã te fungũ aut bulbũ facere: nunc salis, bibis, & cantas. Rursus, si dicat basiliscus aut uipera, quur me cõdidisti anĩal oĩbus inuisum, oĩbus letiferũ, potius q̃ ouem? Quid respõderet deus? Fortasse diceret: Mihi sic uisum est, & sic cõgruebat decoro & ordini uniuersitatis. Nec tibi tamẽ facta est iniuria, nõ magis q̃ muscis, culicibus, reliquisq́; insectis, quorum unumquodq; sic finxi, ut ingens etiã miraculũ præbeant cõtemplantibus. Nec ideo nõ est mirandũ ac pulchrũ animal araneus, si dißimilis est elephanto, imò plus miraculorum est in araneo quàm in elephanto. Nõ tibi sat est, q̃ in tuo genere perfectum es anĩal? Neq; tibi datũ est uenenũ ut occidas, sed ut his armis te tuosq́; fœtus tueare, quemadmodũ bubus addita sunt cornua, leonibus ungues, lupo dentes, calces equis. Habet animantium unumquodq; suã utilitatẽ. Equus baiulus est, bos arator, asinus & canis opera iuuant, ouis ad pastũ ac uestitũ hoĩs adfert utilitatẽ, tu præstas usum ad pharmaca. Sed desinamus ratiocinari cum his quæ ratione
Gen. 1. carent. De homine nobis est instituta disputatio, quem deus cõdidit ad imaginẽ & similitudinẽ suã, & cuius gratia condidit oĩa. Quũ uerò uideamus quosdã nasci corpibus felicißimis, ingenijs optimis, ac uelut ad uirtutem natis

tē natis: Rursus alios corpibus mōstrosis, alios morbis horrendis obnoxios, alios animis tā stupidis, ut minimū absint à brutis animātibus, quosdā ipsis etiā brutis brutiores. alios ingenijs tā propensis ad flagitia, ut ad hæc uideātur ui fatorū rapi, quosdā planè demētes ac dæmoniacos. Quibus modis hic explicabimus quæstionem de iustitia ac misericordia dei? An dicemus cum Paulo, ò altitudo &c, sic arbitror melius quàm impia temeritate iudicare de dei cōsilijs, quæ sunt homini inuestigabilia. Verum longe difficilius sit explicare, quare deus in alijs immortali gloria coronet sua beneficia, in alijs sua malefacta puniat æternis supplicijs. Hoc tamē paradoxon ut tueantur, multis auxiliaribus paradoxis est opus, quo tuta sit acies aduersus alterā partē. Exaggerant in immensum peccatū originale, quo sic uolunt corruptas esse præstantissimas etiā humanæ naturæ uires, ut ex sese nihil possit, nisi ignorare & odisse deum, ac ne per fidei quidē gratiū iustificatus ullum opus possit efficere, quod nō sit peccatū: atq; illam ipsam procliuitatē ad peccandū in nobis ex peccato primorū parentū relictā, uolūt esse peccatū, et eandē inuincibilē esse, adeo ut nullū sit dei præceptū, quod homo etiam per fidē iustificatus possit implere. sed tot dei præcepta non aliò spectare, q̄ ut amplificetur dei gratia salutē largiens absq; respectu meritorū. Verum interim isti mihi uidentur alibi cōtrahere dei misericordiam, ut alibi dilatent, perinde ac si quis ap-

ponat cõuiuis perparcũ prandiũ, quo ſplendidior uideatur in cœna, & quodãmodo pictores imitetur, qui quum lucẽ mẽtiri uolunt in pictura, obſcurãt umbris, quæ ꝓxima ſunt. Primũ enim penè crudelẽ faciũt deũ, qui ob peccatũ alterũ ſic ſæuiat in uniuerſum hominũ genus, præſertim quũ qui cõmiſerãt reſipuerint, ac tã graues dederint pœnas q̃ diu uixerunt. Deinde quum aiunt etiã illos qui per fidẽ iuſtificati ſunt, nihil aliud q̃ peccare, adeo, ut amãdo deum, & fidendo deo reddamur digni odio dei: nónne uehemẽter hic faciũt parcam dei gratiã, quæ ſic iuſtificat hoĩem per fidẽ, ut tamẽ adhuc nihil aliud ſit q̃ ipſum peccatũ? Præterea dic deus tot præceptis onerat hominẽ, quæ ad nihil aliud ualent, q̃ ut magis oderit deum, grauiusq; damnetur, nónne faciunt eũ ipſo Dionyſio Siciliæ tyranno clementiorẽ, qui multas leges ſtudio prodidit, quas ſuſpicabatur pleroſq;, ſi nullus inſtaret, non ſeruaturos, ac primũ cõniuebat, mox ubi uidit oẽs prope modũ alicubi peccaſſe, cœpit eos uocare ad pœnã. Ita reddidit ſibi oẽs obnoxios. Et tamẽ huius leges erãt huiuſmodi ut facile poſſent ſeruari, ſi quis uoluiſſet. Nõ nunc excutio cauſſas, quibus docẽt omnia dei præcepta nobis eſſe impoßibilia, nec enim hoc inſtituimus, tantũ obiter oſtendere uolui, iſtos nimio ſtudio dilatãdæ gratiæ in ratione ſalutis, eandẽ in alijs obſcurare: quædã non uideo quomodo cõſiſtãt. Iugulato libero arbitrio docent hoĩem iam agi ſpiritu Chriſti, cuius natura nõ patitur

titur cõſortium peccati. Et tamẽ ijdem dicunt hominẽ etiã accepta gratia nihil aliud q̃ peccare. Id genus hyperbolis delectatus uidetur Lutherus, ut aliorũ hyperbolas ueluti malum nodũ, quod dici ſolet, malo cuneo propelleret. Quorundã temeritas ad hyperbolen proceſſerat, qui uendebãt merita, nõ ſolum ſua, uerũ etiã omnium ſanctorum. At qualia tãdem opera? Cantiones, murmura pſalmorũ, piſces, inedias, ueſtes, titulos. Hunc clauum clauo ſic pepulit Lutherus, ut diceret nulla eſſe omnino merita ſanctorũ, ſed oĩa quamlibet piorum hominũ facta fuiſſe peccata, dãnationẽ æternam allatura, ni fides & dei miſericordia ſuccurriſſet. Itidem altera pars luculentũ quæſtum faciebat ex confeßionibus & ſatisfactionibus, quibus mire retinuerant hominum cõſcientias: item ex purgatorio, de quo paradoxa quædam tradiderant. Hoc uitium ſic corrigit pars diuerſa, ut confeßionem dicant cõmentum eſſe Satanæ, qui modeſtiſſime negant exigẽdam: pro peccatis non eſſe opus ulla ſatisfactione, quũ Chriſtus pro peccatis omnũ pœnas reſoluerit: deniq; nullum eſſe purgatorium. Item pars una dicit, etiam priorculorum conſtitutiones obligare ad pœnam gehennæ, nec dubitat promittere uitam æternam ſi quis obedierit: diuerſa pars ſic huic medetur hyperbolæ, ut dicat omnes pontificum, cõciliorum, epiſcoporũ cõſtitutiones eſſe hæreticas & antichriſtianas. Sic una pars extulerat pontificis poteſtatem πάνυ ὑπερβολικῶς, altera ſic prædicat de pontifice, ut non auſim referre

Rursus una pars dicit, monachorũ & sacerdotum uota obstringere hominẽ ad pœnã gehennæ & in perpetuum, altera dicit talia uota esse prorsus impia, nec esse suscipienda, nec si susceperis, seruanda. Ex taliũ igitur hyperbolarum collisione nascuntur hæc fulmina ac tonitrua, quæ nunc concutiunt orbem. Quod si pars utraq; pgat mordicus tueri suas hyperbolas, uideo talem pugnã inter illos futuram, qualis fuit inter Achillem & Hectorem, quos, quoniam erant pariter feroces, sola mors potuit diuidere. Ac uulgo quidem aiunt, baculum curuum ut rectum facias, in diuersam partem inflectendum esse: id fortasse consultum fuerit in corrigendis moribus, in dogmatibus an ferendũ sit nescio. In exhortando aut dehortando uideo nonnunquàm esse locum hyperbolis, uelut ut addas homini timido fiduciam, apte dixeris, ne metue, deus omnia loquetur & faciet in te. Et ad retundendam hominis impiam insolentiam, utiliter fortasse dixeris, hominem nihil aliud esse quàm peccatum: & aduersus eos, qui sua dogmata postulant æquari, scripturis Canonicis, utiliter dixeris, hominẽ nihil aliud esse quàm mendacium. Verum ubi in disquisitione ueri proponuntur ἀξιώματα, non arbitror utendum huiusmodi paradoxis, quæ non multum absunt ab ænigmatibus: mihi quidem in his placet moderatio. Pelagius libero arbitrio uisus est tribuere plus satis, Scotus tribuit affatim. Lutherus primum mutilabat tantum

tum amputato dextro brachio: mox nec hoc cõtentus prorsus iugulauit liberum arbitrium, et è medio sustulit. Mihi placet illorum sententia, qui nõnihil tribuũt libero arbitrio, sed gratiæ plurimum. Nec enim sic erat uitanda Scylla arrogantiæ, ut feraris in Charybdim desperationis aut socordiæ: neque sic medendum membro luxato, ut in diuersam partem detorqueas: sed in suum locum erat reponendum: nec sic erat à frõte pugnandum cum hoste: ut à tergo uulnus accipias incautus. Hac moderatione fiet, ut sit aliquod opus bonum, licet imperfectum, sed unde nihil sibi possit arrogare homo: erit aliquod meritum, sed cuius summa debeatur deo. Abunde multum est infirmitatis uitiorum, scelerum, in uita mortalium, ut si se quisque uelit contemplari, facile deponat cristas, etiam si non asseueremus hominem quàmuis iustificatum nihil aliud esse quàm peccatum, præsertim quum Christus appellet renascentiam, Paulus nouam creaturam. Quur, inquies, datur aliquid libero arbitrio? Vt sit quod merito imputetur impijs, qui gratiæ dei uolentes defuerint: ut excludatur à deo crudelitatis & iniustitiæ calumnia, ut excludatur à nobis desperatio, ut excludatur securitas, ut extimulemur ad conandum. Ob has causas ab omnibus ferè statuitur liberum arbitrium, sed inefficax absque perpetua dei gratia, ne quid arrogemus nobis. Dicat aliquis, ad quid ualet liberum arbitrium, si nihil efficiat? Respondeo, ad quid ualet

totus

totus homo, si sic in illo agit deus, quemadmodũ figulus agit in luto, & quemadmodum agere poterat in statuae? Proinde si satis iam demonstratum est, hanc materiam esse talem: ut non expediat ad pietatem altius eam scrutari quàm oportet, præsertim apud idiotas, Si docuimus hanc opinionem pluribus & euidentioribus testimonijs scripturarum fulciri, quàm alteram, Si constat scripturam sacram in plerisq; locis uel obscuram esse tropis, uel secum etiã pugnare prima quidem specie: eáque gratia uelimus nolimus alicubi recedendum à uerbis & literis, ac interpretatione moderandam esse sententiã, Denicq; si declaratũ est quot incommoda, non dicam absurda consequãtur, si semel funditus tollatur liberum arbitrium, si palàm est factũ hac, quam dixi, sententia recepta nihil perire eorum quæ Lutherus pie quidem & Christiane disseruit, de summa charitate in deum, de abijcienda fiducia meritorum, operum, & uirium nostrarum, de tota fiducia transferenda in deum, & illius promissa: iam uelim illud expendat lector, num æquum censeat, ut dãnata sententia tot ecclesiæ doctorum, quam tot iam seculorum ac gentium consensus approbauit, recipere paradoxa quædam, ob quæ nunc tumultuatur orbis Christianus. Ea si uera sunt, ingenue fateor ingenij mei tarditatem: qui non assequar: certe sciens non reluctor ueritati, et ex animo faueo libertati ueré Euangelicæ, ac detestor quicqd aduersatur Euãgelio. Nec hic ago

personam

perſonam iudicis, ut dixi, ſed diſputatoris, & tamen uere poſſum illud affirmare, me in diſputando eam ſeruaſſe religionem, quæ olim in cauſſis capitalibus à iuratis iudicibus exigebatur. Nec me licet ſenem, uel pudebit, uel pigebit à iuuene diſcere, ſi quis cum Euangelica manſuetudine doceat euidentiora. Hic audiam ſat ſcio: Diſcat Eraſmus Chriſtũ, & ualere iubeat humanam prudentiam: hæc nullus intelligit, niſi qui ſpiritum habet dei. Si nondum intelligo quid ſit Chriſtus, nimirum hactenus procul aberratũ eſt à ſcopo. Quanquam illud lubens didicero, quem ſpiritum habuerint tot doctores ac populi Chriſtiani, nam probabile eſt populum idem ſenſiſſe quod docebant epiſcopi, annis iam mille trecentis, qui hoc non intellexerunt. CONTVLI, *penes alios eſto iudicium.*

De libero Arbitrio Διατριβῆς *ſiue collationis per Des. Eraſmum Roterodamum finis.*

ARGENTORATI EXCVDEBAT
IOHANNES KNOBLVCHVS
ANNO M. D. XXIIII.
MENSE OCTOBRI.